This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.
+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.
+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.
+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`


In omnibus requiem quaesivi
sed nusquam invenit
nisi in angulo cum libro
ex libris
Oliver Spaulding

Library Science
Stephen Spaulding Mem.
Olive W. Spaulding Bequest
7-6-60
3 v.
SS 5041

Hoc exemplar ex tribus voluminibus constans unum esse ex editione CCXCIII exemplarium chartaceorum et III membranaceorum, cujus editionis volumen et primum et secundum est impressum mense Aprilis Anno Domini MDCCCLXXXIX, recognoscit Societas Grolieriana.

THE GROLIER CLUB
FOUNDED NEW YORK 1884

Aungerville, Richard

Ricardi de Bury Philobiblon

Ex Optimis Codicibus Recensuit

Uersione Anglica necnon et Prolegomenis Adnotationibusque Auxit

Andreas Fleming West

in Collegio Princetoniæ Professor

Pars Prima · Textus

Novi Eboraci Typis et Impensis Societatis Grolierianæ MDCCCLXXXIX

Library Science

Z
992
.A921
1889

v.1

Hanc Editionem
Posuit sub Tutela Legum
Quæ de Proprietate Litteraria Latæ Sunt
Societas Grolieriana
Anno Domini
MDCCCLXXXIX

Copyright, 1889, by the Grolier Club





Monitum

Ai lector benivole! Philobiblon Ricardi tibi trado e codicibus puris et fontalibus ductum ut inde aquas potes viventes ad spiritum refocillandum. ♧♧♧♧

Hic tractatus pulcherrimus quasi testamentum non libros solum sed amorem etiam librorum posteris commendans, quot vicissitudines, quas injurias, quæ indigna per prolapsum temporis est passus! Quomodo Ricardus, etiamsi fuisset propheta, fata sui libelli perspicacius providere potuisset? Nam ejus verba de querimoniis librorum statim audies: Heu!

quam falsis scriptoribus nos exarandos committitis, quam corrupte nos legitis et quotiens medicando necatis quos pio zelo corrigere credebatis! Interpretes barbaros sustinemus multotiens, et qui linguarum idiomata nesciunt, nos de lingua ad linguam transferre præsumunt; sicque proprietate sensus ablata fit sententia contra sensum auctoris turpiter mutilata. Hæc Ricardus. ✠✠✠✠✠✠

Impollutus ac purus ad nos descendisset textus, si nullatenus transcriptores quidam Germani eum sæculo quindecimo contaminassent. At vix abfuit quin illi, studio plumbeo auctoris ad sensum ipsorum emendandi potius quam quæ Ricardus scripsisset conservandi, Philobiblon ex Philobiblon expulissent; insuper etiam quas injurias tulerunt transcriptores propagavere impressores. Sin autem alias contigisset et permansisset ea codicum in Anglia scriptorum integra et vera traditio, tunc proculdubio vero textu nunquam caruissent lectores. ✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠

Mortuus est Ricardus, at quasi non mortuus, similem enim reliquit sibi post se, ut

vel verba adaptemus Ecclesiastici. Hic filius unicus et superstes est Philobiblon. Imago super tumulum Ricardi ex ære pulchre sculpta jamdudum periit, manerius quoque in quo composuit Philobiblon est dilapidatus et ex illa bibliotheca splendida quis liber adhuc manet? Solus Philobiblon amorem Ricardi erga libros nobis hodie testificatur. Quem pio zelo curavimus ad puritatem priscam restituendum, ut Ricardus mortuus resuscitetur et exhortans, confortans, delectans, immo etiam inspirans iterum nobis de amore librorum loquatur. ✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠

Tabula Siglorum

A Codex *R. 8. F. XIV* in Museo Britannico.

B Codex *Digby 147* in Bibliotheca Bodleiana.

C Codex *15168* Parisiensis.

D Codex *3352c* Parisiensis.

Cod. Magdalensis toto Prologo caret.

Aniversis Christi fidelibus,[1] ad quos tenor scripturæ præsentis pervenerit, Ricardus de Bury, miseratione divina Dunelmensis episcopus, salutem in Domino sempiternam, piamque ipsius præsentare memoriam jugiter coram Deo, in vita pariter et post fata.

1 *Universis literarum cultoribus*, ed. 1483 nullo cod. attestante.

Quid retribuam Domino[2] pro omnibus quæ retribuit mihi? devotissimus investigat psalmista, rex invictus et eximius prophetarum. In qua quæstione gratissima

2 *pro Domino* D.

semetipsum redditorem voluntarium, debitorem multifarium, et sanctiorem optantem consiliarium recognoscit; concordans cum Aristotele philosophorum principe, qui omnem de agibilibus quæstionem consilium probat esse tertio et sexto[1] Ethicorum.

1 *sexto et tertio* ACD.

Sane si propheta tam mirabilis, secretorum præscius divinorum, præconsulere volebat tam sollicite, quomodo grate posset gratis data[2] refundere, quid nos rudes regratiatores et avidissimi receptores, onusti divinis beneficiis infinitis, poterimus digne velle? Proculdubio deliberatione sollerti et circumspectione multiplici, invitato primitus spiritu septiformi, quatenus in nostra meditatione ignis illuminans exardescat, viam non impedibilem providere debemus attentius, quo largitor omnium de collatis muneribus suis, sponte veneretur reciproce, proximus relevetur[3] ab onere, et reatus contractus per peccantes quotidie eleemosynarum remediis redimatur.

2 *data* om. B.

3 *reveletur* B et om. omne quod superest sententiæ.

Hujus igitur devotionis monitione præventi ab eo qui solus bonam hominis et præ-

venit voluntatem et perficit, sine quo nec sufficientia suppetit cogitandi solummodo; cujus, quicquid boni fecerimus, non ambigimus esse munus, diligenter tam penes nos, quam cum aliis inquirendo discussimus, quid inter diversorum generum pietatis officia primo gradu placeret Altissimo, prodessetque potius ecclesiæ militanti. Et ecce mox nostræ considerationis aspectibus grex occurrit scholarium elegorum, quin potius electorum in quibus Deus artifex et ancilla natura morum optimorum et scientiarum celebrium plantaverunt radices; sed ita rei familiaris oppressit penuria quod, obstante fortuna contraria, semina tam fecunda virtutum, in inculto[1] juventutis agro, roris debiti non rigata favore, arescere compelluntur. Quo fit ut lateat in obscuris condita virtus clara, ut vel[2] verbis alludamus Boethii, et ardentes lucernæ non ponuntur sub modio, sed præ defectu olei penitus exstinguuntur: sic ager in vere floriger ante messem exaruit; sic frumenta in lolium, et vites degenerant[3] in labruscas, ac sic in oleastros olivæ silvescunt, marcescunt omnino tenellæ trabe-

1 *in culto* CD.

2 *vel* om. C.

3 *degenerant* om. C.

culæ, et qui in fortes columnas ecclesiæ poterant excrevisse, subtilis ingenii capacitate dotati, studiorum gymnasia derelinquunt. Sola inedia novercante, repelluntur a philosophiæ nectareo poculo violenter, quam primo gustaverint, ipso gustu ferventius[1] sitibundi. Liberalibus artibus habiles, et scripturis tantum dispositi contemplandis, orbati necessariorum subsidiis, quasi quadam apostasiæ specie, ad artes mechanicas, propter victus solius suffragia, ad ecclesiæ dispendium et totius cleri vilipendium, revertuntur. Sic mater ecclesia pariendo filios abortiri compellitur, quinimo ab utero fœtus informis monstruose dirumpitur, et pro paucis minimisque quibus contentatur[2] natura, alumnos amittit egregios postea promovendos in pugiles fidei et athletas. Heu quam repente tela succiditur, dum texentis manus orditur! Heu quod sol eclipsatur in aurora clarissima[3] et planeta progrediens regpratur retrograde, ac naturam et speciem veræ stellæ prætendens, subito decidit et fit assub! Quid poterit pius homo intueri miserius? Quid misericordiæ viscera penetrabit acutius?

1 *frequentius* B.

2 *contentantur* A.

3 *in aurora clarissima* om. D.

Quid cor congelatum ut incus in calentes[1] guttas resolvet facilius? Amplius arguentes[2] a sensu contrario, quantum profuit toti reipublicæ Christianæ, non quidem Sardanapali deliciis neque Cræsi divitiis enervare[3] studentes, sed melius mediocritate scholastica suffragari pauperibus, ex eventu præterito recordemur. Quot oculis vidimus, quot ex scripturis collegimus, nulla suorum natalium claritate fulgentes, nullius hæreditatis successione gaudentes, sed tantum proborum virorum pietate suffultos apostolicas cathedras meruisse, subjectis fidelibus præfuisse probissime, superborum et sublimium colla jugo ecclesiastico subjecisse et procurasse propensius ecclesiæ libertatem?

Quamobrem perlustratis humanis egestatibus usquequaque, caritativæ[4] considerationis intuitu, huic tandem[5] calamitoso generi hominum, in quibus tamen tanta redolet spes profectus ecclesiæ,[6] præelegit peculiariter nostræ compassionis affectio pium ferre præsidium, et eisdem non solum de necessariis victui verum[7] multo magis de libris utilissimis studio providere. Ad hunc effectum

1 *vel intus incalescentes* B.
2 *arguentes* om. B.
3 *enumerare* B. *enarrare* D.
4 *claritatem caritatem* D.
5 *tandem* om. A.
6 *ecclesiæ* om. C.
7 *verum* om. D.

acceptissimum, coram Deo, nostra jam ab olim vigilavit intentio indefessa. Hic amor extaticus[1] tam potenter nos rapuit, ut, terrenis aliis abdicatis ab animo, acquirendorum librorum solummodo flagraremus affectu. Ut igitur nostri finis intentio tam posteris pateat quam modernis, et ora perversa loquentium, quantum ad nos pertinet, obstruamus perpetuo, tractatum parvulinum[2] edidimus, stylo quidem levissimo modernorum. Est enim ridiculosum rhetoricis, quando levis materia describitur grandi stylo. Qui tractatus, amorem quem ad libros habuimus ab excessu purgabit, devotionis intentæ propositum propalabit, et circumstantias facti nostri, per viginti divisus capitula, luce clarius enarrabit. Quia vero de librorum amore principaliter disserit, placuit nobis more veterum Latinorum ipsum Græco[3] vocabulo Philobiblon amabiliter nuncupare. ⚜ ⚜ ⚜ ⚜

1 *excitus* B.

2 *parvulum* B.

3 *ipsum a Græco* CD.

Explicit Prologus

Incipiunt capitula Philobiblon Ricardi Dunelmensis episcopi

Quod thesaurus sapientiæ potissime sit in libris. * * *

Qualis amor libris rationabiliter debeatur. * * * *

Qualiter in libris emendis sit pretium æstimandum. * * * *

Querimonia librorum contra clericos iam promotos. * * * *

Querimonia librorum contra religiosos possessionatos. * * *

Querimonia librorum contra religiosos mendicantes. * * * *

Querimonia librorum[1] contra bella. * * * * * * * *

De multiplici opportunitate quam habuimus librorum copiam conquirendi. * * * * * * * * * * * * *

Quod licet opera veterum amplius amaremus, Non tamen damnavimus studia modernorum. * * * * * * * * *

De successiva perfectione librorum. * * * * * * * *

Quare libros liberalium artium[2] prætulimus libris iuris. * * *

Quare libros grammaticales tanta diligentia curavimus renovare. *

Quare non omnino negleximus fabulas poetarum. * * * * *

Qui deberent[3] esse librorum potissimi dilectores. * * * * *

Quot commoda confert amor librorum. * * * * * * *

Quam sit meritorium libros novos scribere et veteres renovare. *

De debita honestate circa librorum custodiam adhibenda.[4] * *

Quod tantam librorum collegimus copiam ad communem profectum scholarium et non solum ad propriam voluptatem.[5] * * *

De modo communicandi studentibus omnibus[6] libros nostros. * *

Exhortatio scholarium ad rependendum pro nobis suffragia debitæ pietatis.[7] * * * * * * * * * * * *

1 *librorum* om. D.

2 *literarum* AB D.

3 *debent* CD.

4 *libros custodiam* D et om. *adhibenda.*

5 *voluntatem* D.

6 *omnes* B.

7 *pietati* B.

Capitulum Primum

Quod thesaurus sapientiæ potissime sit in libris

Thesaurus desiderabilis sapientiæ et scientiæ, quem omnes homines per instinctum naturæ desiderant, cunctas mundi transcendit divitias infinite,[1] cujus respectu lapides pretiosi vilescunt; cujus comparatione argentum lutescit, et aurum obryzum exigua sit[2] arena; cujus splendore tenebrescunt visui sol et luna; cujus dulcore mirabili amarescunt gustui mel et manna. ☙ ☙ ☙ ☙ ☙ ☙ ☙

1 *infinite* om. D.

2 *fuit* A.

O valor sapientiæ non marcescens ex tempore, virtus virens assidue, omne virus evacuans ab habente! O munus cœleste liberalitatis divinæ, descendens a Patre luminum, ut mentem rationalem provehas usque[1] cœlum! Tu es intellectus cœlestis alimonia, quam qui edunt, adhuc esurient, quam qui bibunt, adhuc sitient, et languentis animæ harmonia lætificans, quam qui audit nullatenus confundetur. Tu es morum moderatrix et regula, secundum quam operans non peccabit. Per te reges regnant et legum conditores justa decernunt. Per te deposita ruditate nativa, elimatis ingeniis atque linguis,[2] vitiorum sentibus[3] coeffossis radicitus,[4] apices consequuntur honoris fiuntque patres patriæ et comites[5] principum, qui sine te conflassent lanceas in ligones et vomeres, vel cum filio prodigo pascerent forte sues.

Quo lates potissime, prælecte[6] thesaure? et ubi te reperient animæ sitibundæ? In libris proculdubio posuisti tabernaculum tuum, ubi te fundavit Altissimus, lumen luminum, liber vitæ. Ibi te omnis qui petit, accipit, et qui quærit,

1 *usque in* B.
2 *signis* C.
3 *dentibus* B.
4 *radicatus* BD.
5 *comitum* B.
6 *præfecte* C.

invenit, et pulsantibus improbe citius aperitur. En his cherubim alas suas extendunt, ut intellectus studentis ascendat, et a polo ad polum prospiciat a solis ortu et occasu, ab aquilone et mari. En his incomprehensibilis[1] ipse[2] Deus altissimus apprehensibiliter continetur et colitur; in his patet natura cœlestium, terrestrium et infernorum; in his cernuntur jura, quibus omnis regitur politia; hierarchiæ cœlestis distinguuntur officia, et dæmonum tyrannides describuntur, quos nec ideæ Platonis exsuperant, nec Catonis[3] cathedra continebat. In libris mortuos quasi vivos invenio: in libris futura prævideo: in libris res bellicæ disponuntur: de libris prodeunt jura pacis. Omnia corrumpuntur et tabescunt in tempore et Saturnus quos generat devorare non cessat. Omnem mundi gloriam operiret oblivio,[4] nisi Deus mortalibus librorum remedia providisset. Alexander orbis domitor, Julius urbis et orbis invasor, qui,[5] et Marte et arte primus, in unitate personæ assumpsit imperium, fidelis Fabricius et Cato rigidus, hodie caruissent memoria, si

1 *incomprensibilis* CD.
2 *ipse* om. D.
3 *Catonis* AC.
4 *oblivioni* D.
5 *quia* B.

librorum suffragia defuissent. Turres ad terram sunt dirutæ, civitates eversæ, putredine perierunt fornices triumphales. Nec quicquam reperiet[1] rex vel papa, quo perennitatis privilegium conferatur commodius quam per libros. Reddit auctori vicissitudinem liber factus, ut, quamdiu liber supererit, auctor manens athanatos nequeat interire, teste Ptolemæo in prologo Almagesti: non fuit, inquit, mortuus qui scientiam vivificavit. Quis igitur infinito thesauro librorum de quo scriba doctus profert nova et vetera, per[2] quodcunque alterius speciei pretium limitabit? Veritas vincens super omnia, quæ regem, vinum et mulierem supergreditur, quam amicis præhonorare officium obtinet sanctitatis[3] (quæ est via sine devio et vita sine termino, cui sacer Boethius attribuit triplex esse, in mente, scripto et voce), in libris videtur manere utilius et fructificare fecundius ad profectum. Nam virtus vocis perit[4] cum sonitu: veritas mente latens est sapientia absconsa et thesaurus invisus: veritas vero[5] quæ lucet in libris, omni se disciplinabili[6] sensui manifestare desiderat. Visui dum

1 *reperi et* A.
2 *et* B.
3 *sanitatis* C.
4 *aperit* A.
5 *vero* om. D.
6 *disciplinali* C D.

legitur; auditui dum auditur; amplius et tactui[1] se commendat quodam modo, dum transcribi se sustinet, colligari, corrigi et servari. Veritas mentis[2] clausa licet sit possessio nobilis animi, quia tamen caret socio, non constat esse jucunda, de qua nec visus judicat nec auditus. Veritas vero vocis soli patet auditui, visum latens, qui plures nobis differentias rerum monstrat, affixaque[3] subtilissimo motui incipit et desinit quasi simul. Sed veritas scripta libri non successiva sed permanens palam se præbet aspectui, et per sphærulas pervias oculorum, vestibula sensus communis, et imaginationis atria transiens, thalamum intellectus ingreditur, in cubili memoriæ se recondens, ubi æternam mentis congenerat veritatem.

Postremo pensandum quanta doctrinæ commoditas sit in libris, quam facilis, quam arcana, quam tuto libris humanæ ignorantiæ paupertatem sine verecundia denudamus. Hi sunt magistri, qui nos instruunt sine virgis et ferula, sine verbis et cholera, sine pannis et pecunia. Si accedis, non dormiunt, si inquirens interrogas, non

1 *tactu* C.
2 *cunctis* C.
3 *affixaque* C.

abscondunt,[1] non remurmurant, si oberres, cacchinos nesciunt, si ignores. O libri soli liberales et liberi, qui omni petenti tribuitis, et omnes manumittitis vobis sedulo servientes! Quot rerum millibus typice viris doctis recommendamini, in Scriptura nobis divinitus inspirata. Vos enim estis profundissimæ sophiæ fodinæ, ad quas sapiens filium suum mittit ut inde thesauros effodiat, Proverbiorum secundo; vos putei aquarum viventium, quos pater Abraham primo fodit, Isaac eruderavit, quosque nituntur obstruere Palæstini, Genesis vicesimo sexto. Vos estis revera spicæ gratissimæ, plenæ granis, solis apostolicis manibus confricandæ,[2] ut egrediatur cibus suavissimus[3] famelicis animabus; Matthæi duodecimo. Vos estis urnæ aureæ, quibus manna reconditur atque petræ mellifluæ, imo potius favi[4] mellis, ubera uberrima lactis vitæ, promptuaria semper plena. Vos lignum vitæ, et quadripartitus fluvius paradisi, quo mens humana pascitur et aridus intellectus imbuitur et rigatur. Vos arca Noe et scala Jacob, canalesque quibus fœtus intuen-

1 *non se abscondunt* CD.

2 *consortandæ* (?) D.

3 *sanissimus* CD.

4 *favi* om. B.

tium colorantur. Vos lapides testimonii, et lagenæ servantes lampades Gedeonis, pera David, de qua limpidissimi lapides extrahuntur, ut Goliath prosternatur. Vos estis aurea vasa templi, arma militiæ clericorum, quibus tela nequissimi[1] destruuntur, olivæ fecundæ, vineæ Engadi, ficus sterilescere nescientes, lucernæ ardentes semper in manibus prætendendæ, et optima quæque[2] Scripturæ libris adaptare poterimus, si loqui libeat figurate.

1 *nequissimi hostis* B.

2 *quæcunque* D.

Capitulum Secundum

+ Qualis amor libris rationabiliter debeatur +

Si quidlibet[3] juxta gradum valoris gradum mereatur amoris, valorem vero librorum ineffabilem persuadet præcedens capitulum, palam liquet lectori quid sit inde probabiliter concludendum. Non enim

3 *quodlibet* corr. in *quidlibet* C.

demonstrationibus in morali materia utimur, recordantes, quoniam disciplinati hominis est certitudinem quærere, sicut rei naturam perspexerit tolerare, archiphilosopho attestante[1] primo Ethicorum; quoniam nec Tullius requirit Euclidem, nec Euclidi Tullius facit fidem. Hoc[2] revera sive logice sive rhetorice suadere[3] conamur, quod, quæcunque divitiæ vel deliciæ cedere debent libris in anima spiritali,[4] ubi spiritus, qui est charitas, ordinat charitatem. Primo quidem, quia in libris sapientia continetur potissime, plus quam omnes mortales naturaliter comprehendant; sapientia vero divitias parvipendit,[5] sicut capitulum antecedens allegat. Præterea Aristoteles De Problematibus, particulo tricesimo, problemate decimo, istam determinat quæstionem, propter quid antiqui, qui pro gymnasticis et corporalibus agoniis præmia statuerunt potioribus, nullum unquam præmium sapientiæ decreverunt? Hanc responsione tertia ita solvit: In gymnasticis exercitiis præmium est eligibilius et melius[6] illo pro quo datur. Sapientia autem nihil melius esse potest,

1 *testante* D.
2 *Hæc* B.
3 *persuadere* B.
4 *spirituali* B.
5 *comprehendit* D.
6 *et melius* om. B.

quamobrem sapientiæ nullum potuit præmium assignari. Ergo[1] nec divitiæ nec deliciæ sapientiam[2] antecellunt.

Rursus amicitiam divitiis præponendam solus negabit insipiens, cum sapientissimus hoc testetur, amicitiæ vero[3] veritatem hieraphilosophus præhonorat, et verus Zorobabel omnibus anteponit. Subsunt igitur divitiæ veritati. Veritatem vero potissime et tuentur et continent sacri libri, imo sunt veritas ipsa scripta,[4] quoniam pro nunc librorum asseres librorum non asserimus esse partes. Quamobrem divitiæ subsunt libris, præsertim cum pretiosissimum genus divitiarum omnium sint amici, sicut secundo De Consolatione testatur[5] Boethius: quibus tamen librorum veritas est per Aristotelem præferenda. Amplius cum divitiæ ad solius corporis subsidia primo et principaliter pertinere noscantur: virtus[6] vero librorum sit perfectio rationis, quæ bonum humanum proprie nominatur, apparet quod libri sunt homini ratione utenti divitiis cariores. Præterea enim illud, quo fides defenderetur commodius, dilataretur

1 *Igitur* BC.
2 *scientiam* D.
3 *veræ* A.
4 *scriptura* B.
5 *attestatur* D.
6 *veritas* C.

diffusius, prædicaretur lucidius, diligibilius debet esse fideli. Hoc autem est veritas libris inscripta, quod evidentius figuravit Salvator quando contra temptatorem præliaturus viriliter scuto se circumdedit veritatis, non cujuslibet imo scriptæ; scriptum esse præmittens[1] quod vivæ vocis oraculo erat[2] prolaturus;[3] Matthæi quarto. Rursus autem felicitatem nemo dubitat divitiis præponendam. Consistit autem felicitas in operatione nobilissimæ[4] et divinioris potentiæ quam habemus, dum videlicet intellectus vacat totaliter veritati[5] sapientiæ contemplandæ, quæ est delectabilissima omnium operationum[6] secundum virtutem, sicut princeps philosophorum determinat decimo Ethicorum; propter quod et philosophia videtur habere admirabiles delectationes, puritate et firmitate, ut scribitur consequenter. Contemplatio autem veritatis nunquam est perfectior quam per libros, dum actualis imaginatio, continuata per librum, actum intellectus super visas veritates non sustinet interrumpi. Quamobrem libri videntur esse felicitatis speculativæ immediatissima instrumenta;

1 *scriptum est* D et om. *præmittens.*
2 *fuerat* A.
3 *probaturus* D.
4 *nobilioris* B.
5 *veritatis* A.
6 *virtutum* B.

unde Aristoteles, sol philosophicæ veritatis, ubi de eligendis distribuit methodos, docet quod philosophari est simpliciter eligibilius quam ditari, quamvis in casu, ex circumstantiis[1] puta necessariis, indigenti ditari quam philosophari sit potius eligendum; tertio Topicorum.[2]

Adhuc cum libri sint nobis magistri commodissimi, ut præcedens assumit capitulum, eisdem non immerito tam honorem quam amorem tribuere convenit[3] magistralem. Tandem cum omnes homines natura[4] scire desiderent,[5] ac per libros scientiam veterum præoptandam divitiis omnibus[6] adipisci possimus, quis homo secundum naturam vivens, librorum non habeat appetitum? Quamvis vero porcos spernere margaritas sciamus, nihil in hoc prudentis læditur opinio, quominus oblatas comparet margaritas. Pretiosior est igitur cunctis opibus sapientiæ libraria, et omnia quæ desiderantur, huic non valent comparari; Proverbiorum tertio. Quisquis igitur se fatetur veritatis, felicitatis, sapientiæ, vel scientiæ, seu etiam fidei zelatorem, librorum necesse est se faciat amatorem.

1 *circumstantia* ABCD et ed. 1599.

2 *tertio Topicorum* om. B.

3 *convenit* om. B.

4 *naturaliter* B.

5 *desiderant* A.

6 *omnibus* om. CD.

Capitulum Tertium

Qualiter in libris emendis[1] sit pretium æstimandum

1 *emendis libris* AB.

Corollarium nobis gratum de prædictis elicimus, paucis tamen, ut credimus, acceptandum. Nullam videlicet debere caristiam hominem impedire ab emptione librorum, cum sibi suppetat quod petitur pro eisdem, nisi ut obsistatur[2] malitiæ venditoris, vel tempus emendi opportunius exspectetur. Quoniam si sola sapientia pretium facit libris, quæ est infinitus thesaurus hominibus, et si valor librorum est ineffabilis, ut præmissa supponunt, qualiter probabitur esse carum commercium, ubi bonum emitur infinitum? Quapropter libros libenter emendos et invite vendendos, sol hominum, Salomon nos hortatur; Proverbiorum vicesimo

2 *ut suppetatur obsistatur* C.

tertio: Veritatem, inquit, eme, et noli vendere sapientiam. Sed quod rhetorice suademus vel logice, adstruamus historiis rei gestæ.

Archiphilosophus Aristoteles, quem Averroes datum putat quasi regulam in natura, paucos libros Speusippi, post ipsius decessum, pro septuaginta duobus millibus sestertiis statim emit. Plato prior tempore sed doctrinis posterior, Philolai Pythagorici librum emit pro decem millibus denariorum, de quo dicitur Timæi dialogum excerpsisse, sicut refert A. Gellius[1] Noctium Atticarum, libro primo, capitulo sexto decimo. Hæc autem narrat A. Gellius, ut perpendat insipiens quam nihilipendant sapientes pecuniam comparatione librorum. Et e contrario[2] ut omni superbiæ stultitiam cognoscamus amexam, libet hic Marquinii Superbi stultitiam recensere in parvipensione[3] librorum, quam refert idem A. Gellius libro primo, capitulo undevicesimo, Noctium Atticarum. Vetula quædam omnino incognita ad superbum Marquinium, regem Romanorum septimum, dicitur accessisse,

1 omnia inter *A. Gellius* et *ut perpendat* om. D.

2 *Et contrario* B.

3 *impensione* A.

venales offerens novem libros, in quibus, ut asseruit, divina continebantur oracula, sed immensam pro eisdem poposcit pecuniam, in tantum ut rex eam diceret delirare. Illa commota tres[1] libros in ignem projecit, et pro residuis summam, quam prius, exegit;[2] rege negante, rursus tres alios in ignem projecit, et adhuc pro tribus residuis primam summam poposcit. Tandem stupefactus supra modum Tarquinius summam pro tribus gaudet exsolvere, pro qua novem poterat[3] redemisse. Vetula statim disparuit, quæ nec prius nec postea visa fuit.

1 *tres* om. CD.

2 *exigit* A.

3 *potuerat* D.

Hi sunt libri Sibyllini, quos quasi quoddam[4] divinum oraculum, per aliquem de quindecim viris consulebant Romani, et quindecimviratus officium originem creditur habuisse.

4 *quoddam* om. D.

Quid aliud hæc prophetissa sibylla tam vafro facto superbum regem edocuit, nisi quod vasa sapientiæ, sacri libri, omnem humanam æstimationem excedunt? Et sic[5] de regno Cœlorum dicit Gregorius: tantum valet, quantum habes.

5 *sicut* B.



Capitulum Quartum

Querimonia librorum contra clericos iam promotos

Rogenies viperarum, parentes proprios perimens, atque semen nequam ingratissimi cuculi, qui cum vires acceperit,[1] virium largitricem suam nutriculam[2] necat,[3] sunt clerici degeneres erga[4] libros. Redite prævaricatores ad cor et quid per libros recipitis fideliter computetis, et invenietis libros totius nobilis status vestri quodammodo creatores, sine quibus proculdubio defecissent ceteri promotores.[5]



AD nos nempe rudes penitus et inertes reptastis,[6] ut parvuli loquebamini, ut parvuli sapiebatis, ut parvuli ejulantes implorastis participes fieri lactis nostri. Nos vero protinus lacrymis vestris tacti, mamillam grammaticæ por-

1 *acceperint* C.

2 *nutricem* B.
3 *necant* C.

4 *circa* D.

5 *Ex persona librorum* in literis rubris quasi titulus sequitur *promotores* in ed. 1473 et in cod. recentiore Coloniæ scripto.
6 *raplastis* A, *repta sunt* D.

rexinus exsugendam, quam dentibus atque lingua contrectastis assidue, donec dempta nativa barbarie, nostris linguis inciperetis magnalia Dei fari. Post hæc philosophiæ vestibus valde bonis, rhetorica et dialectica, quas apud nos habuimus et habemus, vos induimus, cum essetis nudi quasi[1] tabula depingenda. Omnes enim philosophiæ domestici sunt vestiti duplicibus, ut tegatur tam nuditas quam ruditas intellectus. Post hæc, ut alati more seraphico super cherubim scanderetis, quadrivialium[2] pennas vobis quatuor adjungentes, transmisimus ad amicum, ad cujus ostium, dum tamen improbe pulsaretis, tres panes commodarentur intelligentiæ Trinitatis, in qua consistit finalis felicitas cujuslibet viatoris. Quod si vos hæc munera non habere dixeritis, confidenter asserimus, quod vel ea per incuriam perdidistis collata, vel in principio desides respuistis oblata. Si hujusmodi videantur ingratis pusilla, adjicimus his majora. Vos estis genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, vos populus peculiaris in sortem Domini computati, vos sacerdotes et

1 *atque* CD.

2 *quadruvialium* A.

ministri Dei, imo vos antonomastice ipsa ecclesia Dei dicimini, quasi laici non sint ecclesiastici nuncupandi. Vos, laicis postpositis, psalmos et hymnos concinitis in cancellis, et altari deservientes, cum altario participantes, verum conficitis corpus Christi, in quo Deus ipse vos non solum laicis, imo paulo magis angelis honoravit. Cui enim aliquando angelorum dixit: Tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech? Vos crucifixi patrimonium dispensatis pauperibus, ubi jam quæritur inter dispensatores, ut fidelis quis inveniatur. Vos estis pastores gregis Dominici, tam exemplo vitæ quam verbo doctrinæ, qui vobis tenentur rependere lac et lanam.

Qui sunt istorum omnium largitores, O clerici? Nonne libri? Reminisci libeat, supplicamus, quot per nos clericis sunt concessa egregia[1] privilegia sacerdotum.[2] Per nos siquidem vasa sapientiæ et intellectus imbuti, cathedras scanditis magistrales, vocati ab hominibus rabbi. Per nos, in oculis laicorum mirabiles, velut

1 *egregia* om. B.
2 *libertatum* AB D.

magna mundi luminaria,[1] dignitates ecclesiæ, secundum sortes varias, possidetis. Per nos, cum adhuc careatis genarum lanugine, in ætate tenera constituti, tonsuram portatis in vertice, prohibente statim[2] ecclesiastica sententia formidanda: Nolite tangere christos meos, et in prophetis meis nolite malignari. Et qui eos tetigerit temere, violenter anathematis vulnere ictu proprio protinus feriatur. Eandem ætate succumbente malitiæ, figuræ Pythagoricæ bivium attingentes, ramum lævum eligitis, et retrorsum abeuntes, sortem Domini præassumptam dimittitis, socii facti furum. Sicque semper proficientes in pejus, latrociniis, homicidiis et multigenis impudicitiis maculati, tam fama quam conscientia tabefacta sceleribus, compellente justitia in manicis et compedibus coarctati servamini, morte turpissima puniendi. Nunc elongatur amicus et proximus, nec est qui doleat vicem vestram.[3] Petrus jurat se hominem non novisse: vulgus clamat justitiario: Crucifige, crucifige eum, quoniam, si hunc dimittis, Cæsaris amicus non eris. Jam periit

1 *lumina* B.

2 *statum* A.

3 *vitam nostram* C.

omnis fuga, nam[1] ante tribunal oportet assisti, nec locus suppetit[2] appellandi, sed solum suspendium erspectatur. Dum sic tristitia complevit cor miseri et solæ camenæ laceræ fletibus ora rigant, fit vallatus angustiis undique, memor nostri, et ut evitet mortis propinquæ periculum, antiquatæ tonsuræ quam dedimus parvum præfert signaculum, supplicans ut vocemur in medium et collati muneris testes simus. Nunc misericordia[3] moti statim, occurrimus filio prodigo et a portis mortis servum eripimus fugitivum. Legendus[4] liber porrigitur non ignotus, et ad modicam balbutientis præ timore lecturam, judicis potestas dissolvitur, accusator subtrahitur, mors fugatur. O carminis empirici mira virtus! O diræ cladis antidotum salutare! O lectio pretiosa psalterii, quod meretur hoc ipso liber vitæ deinceps appellari! Sustineant laici sæculare judicium, ut vel insuti culleis enatent ad Neptunum, vel in terra plantati Plutoni fructificent, aut Vulcano per incendia holocaustum se offerant medullatum, vel certe suspensi victima sint Junoni; dum noster alumnus, ad lectionem unicam

1 *namque* B.
2 *appetit* B.
3 *miseria* A.
4 *Legendus dominus liber* D.

libri vitæ, pontificis commendatur custodiæ, et rigor in favorem convertitur. Ac dum forum suffertur[1] a laico, a librorum alumno clerico mors differtur.

Cæterum jam de clericis, qui sunt vasa virtutis, loquamur. Quis de vobis pulpitum vel[2] scabellum prædicaturus ascendit,[3] nobis penitus inconsultis? Quis scholas lecturus vel disputaturus ingreditur, qui nostris conatibus non fulcitur? Primum oportet volumen cum Ezechiele comedere, quo venter memoriæ dulcescat intrinsecus,[4] et sic more pantheræ refertæ, redoleat extrinsecus conceptorum aromatum odor suavis,[5] ad cujus anhelitum coanhelent accedere omnes[6] bestiæ et jumenta. Sic nostra natura in nostris[7] familiaribus operante latenter, auditores accurrunt benevoli, sicut adamas trahit ferrum nequaquam invite. O virtus infinita librorum! jacent Parisius vel Athenis, simulque resonant in Britannia et[8] in Roma. Quiescentes quippe moventur, dum ipsis loca sua tenentibus, auditorum intellectibus circumquaque feruntur. Nos denique sacerdotes,

1 *suffertur* A, *transfertur* codd. alii.
2 *seu* A.
3 *ascendet* D et corrector in A.
4 *extrinsecus* B.
5 *sanus* ACD, *suavis* B. Glossarium Oxon. s.v. *Panthera* memorat *odorem nimiæ suavitatis* et *nimia suavitate odoris*.
6 *homines* ACD.
7 *nobis* ACD.
8 *vel* CD.

pontifices, cardinales, et papam, ut cuncta in[1] hierarchia ecclesiastica collocentur, in ordine literarum scientia[2] stabilimus. A libris namque sumit originem, quicquid boni provenit statui clericali. Sed hæc hactenus. Piget enim reminisci, quæ dedimus populo clericorum degeneri, quia magis videntur perdita quam collata, quæcumque munera tribuuntur ingratis. Deinceps[3] insistemus parumper recitandis injuriis, quas rependunt vilipensionibus et jacturis; de quibus nec singula genera recitare sufficimus, imo vix proxima genera singularum.

In primis de domiciliis clericorum, nobis jure hereditario debitis, vi et armis expellimur,[4] qui quondam in interiori cubiculo cellulas[5] habebamus quietis, sed proh dolor! his nefandis temporibus,[6] penitus exsulantes improperium patimur extra portas. Occupant[7] etenim loca nostra nunc canes et aves, nunc bestia bipedalis, cujus cohabitatio[8] cum clericis vetabatur antiquitus, a qua semper super aspidem et basiliscum alumnos nostros docuimus fugiendum;[9] quamobrem ista[10] nostris

1 *in* om. C.
2 *scientiam* B.
3 *Deinde* B.
4 *compellimur* B.
5 *cellulas* om. B.
6 *temporibus* om. C.
7 *Occuparant* C.
8 *habitatio* A.
9 *docuimus esse fugiendum* B.
10 *istius* A.

semper studiis æmula, nullo[1] die placanda, finaliter nos conspectos in angulo jam defunctæ araneæ[2] sola tela protectos, in rugam fronte collecta, virulentis sermonibus detrahit et subsannat. At nos in[3] tota domus suppellectili supervacaneos hospitari demonstrat, et ad unumquodque[4] œconomiæ servitium conqueritur otiosos. Mox in capitegia pretiosa, syndonem et sericum, et coccum bis tinctum, vestes et varias furraturas,[5] linum et lanam nos consulit commutandos. Et quidem merito, si videret intrinseca cordis nostri; si nostris privatis interfuisset consiliis; si Theophrasti vel Valerii perlegisset[6] volumen, vel saltem vicesimum quintum capitulum Ecclesiastici auribus intellectus audisset. Quapropter conquerimur de hospitiis injuste nobis ablatis, de vestibus non quidem non datis, sed de datis antiquitus violentis manibus laceratis. Adhæsit pavimento anima nostra, conglutinatus est in terra[7] venter noster, et gloria nostra in pulverem est deducta. Morbis variis laboramus, dorsa dolentes et latera; et jacemus membratim paralysi dissoluti, nec est qui recogitet, nec est ullus

1 *nulla* A.

2 *arenæ* A.

3 *in* om. A.

4 *unumquodque* om. B.

5 *fulraturas* D.

6 Omne quod superest sententiæ post *perlegisset* om. B.

7 *terra* Biblia Sacra Vulg. Ed. (Ps. xliii, 25) et A. *terram* aliquot codd.

qui malagma procuret. Candor nativus et luce perspicuus, jam in fuscum et croceum est conversus, ut nemo medicus dubitet ictericia nos[1] infectos. Arthriticam patiuntur nonnulli de nobis, sicut extremitates retortæ insinuant evidenter. Fumus et pulvis, quibus infestamur assidue, radiorum visualium aciem hebetarunt, et jam lippientibus oculis ophthalmiam superducunt. Ventres nostri duris torsionibus viscerum, quæ vermes edaces non cessant corrodere, consumuntur, et utriusque Lazari[2] sustinemus putredinem, nec invenitur quisquam, qui cedri resina nos liniat, vel qui quatriduano jam putrido clamans dicat, Lazare, veni foras! Nullo circumligantur medicamine vulnera nostra sæva, quæ nobis innoxiis inferuntur atrociter, nec est ullus, qui super nostra ulcera cataplasmet: sed pannosi et algidi, in angulos tenebrosos abjicimur in lacrymis, vel[3] cum sancto Job in sterquilinio collocamur, vel quod nefas videtur effatu, in abyssis abscondimur cloacarum. Pulvinar subtrahitur evangelicis supponendum lateribus, quibus primo deberent de sortibus clericorum prove-

1 *non* BCD.

2 *viriusque Lazari* D, *ulcerum Lazari* cod. Bruxell. 11465, *utriusque lateris* quinque codd. corruptissimi sec. xv exeunte in Germania scripti.

3 *vel* om. B.

nire subsidia et sic ad nos suo famulatui deputandos pro semper communis victus necessarius derivari.

RUrsus de alio genere calamitatis conquerimur, quæ personis nostris crebrius irrogatur injuste. Nam[1] in servos vendimur et ancillas, et obsides in tabernis absque redemptore jacemus. Macellariis crudelibus subdimur, ubi mactari tam pecora quam jumenta sine piis lacrymis non videmus, et ubi millesies morimur ipso metu, qui posset cadere in constantem.[2] Judæis committimur, Sarracenis, hæreticis, et paganis, quorum super omnia toxicum formidamus, per quos nonnullos de nostris parentibus per venenum pestiferum constat esse corruptos.

SAne nos, qui architectonici reputari debemus in scientiis, et subjectis nobis mechanicis omnibus[3] imperamus, subalternatorum[4] regimini vice versa committimur, tanquam si monarcha summe nobilis rusticanis calcaneis substernatur. Sartor[5] et sutor et scissor quicumque ac[6] cujuslibet operis artifex, nos inclusos[7] custodit in carcere,[8] pro superfluis et lascivis deliciis clericorum.

1 *nos* B.

2 *inconstantem* ACD.

3 *omnibus* om. CD.

4 *subalternorum* B.

5 *Saltor* A.

6 *aut* CD.

7 *inclusos nos* BCD.

8 *carceris* B.

Iam volumus prosequi novum genus injuriæ, quo tam in nostris personis lædimur quam in fama, qua nihil carius possidemus. Generositati nostræ omni die detrahitur, dum per pravos compilatores, translatores, transformatores[1] nova nobis auctorum nomina[2] imponuntur et, antiqua nobilitate mutata, regeneratione multiplici renascentes degeneramus omnino. Sicque vilium vitricorum[3] nobis nolentibus affiguntur vocabula, et verorum patrum nomina filiis subducuntur. Versus Virgilii adhuc ipso vivente quidam pseudoversificus usurpavit, et Martialis Ioci libellos Fidentinus quidam sibi mendaciter arrogavit, quem idem Martialis redarguit[4] merito sub his verbis: ✠ ✠ ✠ ✠ ✠ ✠ ✠ ✠ ✠

✠ Quem recitas, meus est, O Fidentine, libellus: ✠
✠ Sed male dum recitas, incipit esse tuus. ✠ ✠ ✠

Quid ergo[5] mirum, si defunctis nostris auctoribus suas per nos fimbrias simiæ clericorum magnificant, cum eisdem superstitibus nos recenter editos rapere moliantur. Hã, quotiens nos antiquos fingitis nuper natos, et qui patres sumus,

1 *et transformatores* B.
2 *nomina* om. B.
3 *auctorum* in *victricorum* corr. C.
4 *quem idem Martialis redarguit* om. B.
5 *igitur* BD.

filios nominare conamini. Quique vos ad esse[1] clericale creavimus, studiorum vestrorum fabricas appellatis. Revera de Athenis exstitimus oriundi, qui fingimur nunc de Roma, semper namque[2] Carmentis latruncula fuit Cadmi, et qui nuper nascebamur in Anglia, cras Parisius renascemur: et inde delati Bononiam, Italicam sortiemur originem nulla consanguinitate suffultam. Heu! quam falsis scriptoribus nos erarandos committitis, quam corrupte nos legitis et quotiens medicando necatis, quos pio[3] zelo corrigere credebatis! Interpretes barbaros sustinemus multotiens, et qui linguarum idiomata nesciunt, nos de lingua ad linguam transferre præsumunt: sicque proprietate sermonis ablata, fit sententia contra sensum auctoris turpiter mutilata! Bene gratiosa fuisset librorum conditio, si turris[4] Babel nullatenus obfuisset præsumptio, si totius humani generis unica descendisset[5] sermonis species propagata!

Ratimam nostræ prolixæ querelæ, sed[6] pro materia quam habemus brevissimæ, clau-

1 *adesse* A.

2 *semperque* pro *semper namque* D.

3 *pro* BD.

4 *turpis* AC.

5 *dissendisset* A.

6 *sed* om. C.

sulam subjungemus.[1] En nobis eteninn[2] commutatur naturalis usus in eum usum qui est contra naturam, dum passim pictoribus subdimur literarum ignaris et aurifabris, proh dolor! commendamur nos, qui sumus lumen fidelium animarum, ut flamus, ac si non essemus sapientiæ sacra[3] vasa, repositoria bractearum: devolvimur indebite in laicorum dominium, quod est nobis amarius omni morte, quoniam hi vendiderunt populum nostrum sine pretio, et inimici nostri judices nostri sunt. Liquet omnibus ex prædictis quam infinita possemus in clericos invectiva conjicere[4] si non honestati proprie parceremus. Nam miles emeritus clypeum veneratur et arma, gratusque Corydon aratro tabescenti bigæ, trahæ, tribulæ ac ligoni; et[5] omnis artifex manualis hyperduliam propriam suis exhibet instrumentis: solus ingratus clericus parvipendit et negligit ea,[6] per quæ sui honoris auspicia semper sumit.

1 *subjungimus* C D.
2 *enim* B.
3 *sacra* BCD.
4 *commiscere* B CD.
5 *etiam* B.
6 *ea* om. D.

Capitulum Quintum

Querimonia librorum contra religiosos possessionatos[1]

Religionum veneranda devotio in librorum cultu solet[2] esse sollicita et in eorum eloquiis sicut in omnibus divitiis delectari. Scribebant namque nonnulli manibus propriis inter horas canonicas, intervallis captatis, et tempora pro quiete corporis commodata fabricandis codicibus concesserunt. De quorum laboribus hodie in plerisque splendent monasteriis illa sacra gazophylacia, cherubicis libris plena, ad dandam scientiam salutis studentibus, atque lumen delectabile semitis laicorum. O labor manualis felicior omni cura georgica! O devota sollicitudo, ubi nec meretur Martha corripi nec Maria![3] O domus jucunda, in qua Racheli formosæ Lia fecunda non invidet, sed contemplatio cum activa

1 *religiosos jam possessionatos* C D.

2 *solent* in *solet* corr. C.

3 Hanc sententiam om. D.

gaudia[1] sua miscet. Felix providentia pro futuro infinitis posteris valitura, cui nulla virgultorum plantatio, nulla seminum satio comparatur, nulla bucolica curiositas quorumlibet armentorum, nulla castrorum constructio munitorum! Quamobrem immortalis debet esse patrum illorum memoria, quos solius sapientiæ delectabat thesaurus, qui contra futuras caligines, luminosas lucernas artificiosissime providerunt, et contra famem audiendi verbum Dei, panes non subcinericios, neque hordeaceos, nec[2] muscidos, sed panes azymos de purissima simila sacræ sophiæ confectos accuratissime paraverunt, quibus esurientes animæ feliciter cibarentur. Hi fuerunt probissimi pugiles Christianæ militiæ, qui nostram infirmitatem armis fortissimis munierunt. Hi fuerunt suis temporibus vulpium venatores cautissimi, qui jam nobis sua retia reliquerunt, ut parvulas[3] caperemus vulpeculas, quæ non cessant florentes vineas demoliri. Vere patres egregii benedictione perpetua recolendi, felices merito fuissetis, si vobis similem sobolem genuisse, si prolem non degene-

1 *cum activa* om. C, *cum* om. B, *gaudia* om. D.

2 *neque* C.

3 *parvas* B.

rem nec æquivocam reliquisse ad sequentis temporis subsidium licuisset.

Sed, quod dolentes referimus, jam Thersites ignavus arma contrectat Achillis et dextrariorum phaleræ præelectæ pigritantibus asinis substernuntur, aquilarum nidis cæcutientes[1] noctuæ dominantur, et in accipitris pertica residet vecors milvus. Liber Bacchus respicitur, et in ventrem trajicitur nocte dieque; liber codex despicitur, et a manu rejicitur longe lateque, tanquam si cujusdam æquivocationis multiplicitate fallatur simplex monachica plebs moderna, dum Liber pater[2] præponitur libro patrum. Calicibus epotandis non codicibus emendandis indulget hodie studium monachorum: quibus lascivam musicam Timothei pudicis moribus æmulam non verentur adjungere, sicque cantus ludentis non planctus lugentis officium efficitur monachale. Greges et vellera, fruges et horrea, porri et olera, potus et patera, lectiones sunt hodie et studia monachorum, exceptis quibusdam paucis electis, in quibus patrum præcedentium non imago, sed vestigium remanet aliquale. Rursus

1 Omnia post *cæcutientes* usque *nocte dieque* om. D.

2 *potationum* B.

nulla nobis materia ministratur omnino, qua de nostro cultu vel studio commendentur hodie canonici regulares, qui licet a geminata regula nomen portant eximium Augustini, tamen regulæ notabilem neglexere versiculum, quo sub his verbis suis clericis commendamur:

Codices certa hora singulis diebus petantur:
Extra horam qui petierit, non accipiat.

Hunc devotum studii canonem vix observat aliquis post[1] ecclesiastica cantica repetita, sed sapere quæ sunt sæculi et relictum aratrum intueri summa prudentia reputatur. Mollunt pharetram et arcum, apprehendunt arma et scutum, eleemosynarum tributum canibus tribuunt, non egenis, inservium aleis et taxillis et his, quæ[2] nos sæcularibus inhibere solemus; ut non miremur, si nos non dignentur respicere, quos sic suis cernerent moribus contraire.

Patres igitur[3] reverendi, patrum vestrorum dignemini reminisci et librorum propensius indulgete studio, sine quibus quælibet vacillabit[4] religio, sine quibus ut testa virtus devotionis

1 *canonem vix observat aliquis post* om. C.

2 *qui* ACD.

3 *ergo* (?) B.

4 *vacillat* D, *sine quibus quælibet vacillabit religio* om. C.

arescet, sine quibus nullum lumen poteritis mundo præbere.[1]

1 *præbere poteritis lumen mundo* ACD.

Capitulum Sextum

Querimonia librorum contra religiosos mendicantes

Pauperes spiritu, sed in fide ditissimi, mundi peripsema et sal terræ, sæculi contemptores et hominum piscatores, quam beati estis, si penuriam patientes pro Christo, animas vestras scitis in patientia possidere. Non enim vos ultrix iniquitatis inopia, nec parentum adversa fortuna, nec ulla violenta necessitas sic oppressit inedia, sed devota voluntas et electio Christiformis, qua vitam illam optimam[2] æstimastis, quam Deus omnipotens factus homo tam verbo quam exemplo optimam prædicavit. Sane vos estis semper parientis ecclesiæ novus fœtus, pro patribus et prophetis noviter substituti divini-

2 Omnia post *optimam* usque *prædicavit* om. B.

tus, ut in omnem terram exeat sonus vester, et nostris salutaribus instituti doctrinis, coram gentibus et regibus promulgetis inexpugnabilem fidem Christi. Porro fidem patrum potissime libris[1] esse inclusam secundum capitulum supra satis asseruit, quo constat luce clarius, quod librorum deberetis esse zelotypi præ ceteris Christianis. Seminare jubemini super omnes aquas,[2] quoniam non est personarum acceptor Altissimus, nec vult mortem peccatorum piissimus, qui occidi voluit pro eisdem: sed contritos corde mederi desiderat atque lapsos erigi et perversos corrigi spiritu lenitatis. Ad quem effectum saluberrimum[3] alma[4] mater ecclesia vos plantavit gratuito, plantatosque rigavit favoribus et rigatos privilegiis suffulcivit, ut cum pastoribus et curatis coadjutores essetis ad procurandam salutem fidelium animarum. ❊❊❊❊❊

Unde et Prædicatorum ordinem, propter sacræ scripturæ studium et proximorum salutem principaliter institutum, constitutiones pronunciant eorundem; ut non solum ex regula reverendi[5] præsulis Augustini, quæ[6] codices

1 *librum* D.
2 *aquas* om. C.
3 *saluberrimum* om. C.
4 *sancta* D.
5 *beatissimi* post *præsulis* D.
6 *qui* D.

singulis diebus jubet esse petendos; verum mox cum earundem constitutionum prologum legerint, ex ipsius libri capite, ad amorem librorum se noverint obligatos.

Sed, proh dolor! tam hos quam alios istorum sectantes effigiem a paterna cultura librorum et studio subtrahit triplex cura superflua, ventris videlicet vestium et domorum. Sunt enim, neglecta Salvatoris providentia, quem Psalmista circa pauperem et mendicum promittit esse sollicitum, circa labentis corporis indigentias occupati, ut sint epulæ splendidæ, vestesque contra regulam delicatæ: nec non et[1] ædificiorum fabricæ, ut[2] castrorum propugnacula, tali proceritate, quæ paupertati non convenit exaltatæ.

Propter hæc tria, nos libri qui semper eos proverimus ad perfectum, et inter potentes et nobiles sedes honoris concessimus, elongati a cordis affectibus quasi inter superbacanea[3] reputamur: excepto quod quibusdam quaternis parvi valoris insistunt, de quibus Heiberas nænias[4] et apocrypha deliramenta producunt, non ad refocilla-

1 *et* om. CD.
2 *et* D.

3 *superna*, lacuna sequente, A; *supervacanes* B; *superna creanea* C; *superna cavea* D et aliquot codd.; *supernacananea* cod. Dunelm.; *super vacua cavea* cod. Bruxell. 11465; *supervacanea* codd. Vaticanus et Basiliensis.
4 *venias* B et reliqui codd. præter ACD fere omnes.

tibum animarum edulium, sed ad pruritum potius aurium auditorum. Sacra scriptura non exponitur sed omnino seponitur quasi trita per vicos et omnibus divulgata supponitur:[1] cujus tamen fimbrias vix paucissimi tetigerunt, cujus etiam tanta est litterarum profunditas, ut ab humano intellectu,[2] quantumcunque invigilet,[3] summo otio et maximo studio nequeat comprehendi, sicut sanctus asserit Augustinus. De hac mille moralis disciplinæ sententias enucleare poterit, qui indulget assidue, si tamen ostium[4] aperire dignetur ille qui condidit spiritus pietatis, quæ et recentissima novitate pollebunt, et sapidissima suavitate auditorum intelligentias refovebunt. Quamobrem paupertatis[5] evangelicæ professores primarii post utcunque salutatas scientias sæculares, toto mentis ingenio recollecto, hujus se scripturæ laboribus devoverunt, nocte dieque in lege Domini meditantes. Quicquid vero poterant a famescente ventre furari vel corpori semitecto surripere, illud lucrum præcipuum arbitrantes vel emendis vel edendis codicibus adscripserunt. Quorum contemporanei sæcula-

1 *supponatur* D.

2 *humano intellectu* om. C.

3 *invigilet* om. B; *vigilet* C (?) D.

4 *hostium* A.

5 *paupertatis* om. A.

res tam officium intuentes quam studium libros eis, quos in diversis mundi partibus sumptuose collegerant,[1] ad totius ædificationem ecclesiæ contulerunt.

SAne diebus istis cum sint tota diligentia circa quæstus intenti, præsumptione probabili credi potest, si per anthropospathos sermo fiat, Deum circa vos minorem sollicitudinem gerere, quos de sua promissione perpendit diffidere, in humanis providentiis spem habentes, corvum non consideratis nec lilia, quos pascit et vestit Altissimus.

DAnielem et Habacuc cocti pulmenti discophorum non pensatis, nec Eliam recolitis nunc in torrente per corvos, nunc in deserto per angelum, nunc[2] in Sarepta per viduam, largitate divina, quæ dat escam omni carni tempore[3] opportuno, a famis inedia[4] liberatum. Climate miserabili, ut timetur, descenditis, dum divinæ pietatis diffidentia prudentiæ propriæ producit innisum.[5] Innisus[6] vero sollicitudinem generat terrenorum; sollicitudoque nimia[7] terrenorum libro-

1 *collegebant* C.

2 *nunc* om. C.
3 *tempore* om. CD.
4 *in endia* D.
5 *invisum* codd. fere omnes. "Locus satis obscurus, legendum arbitror *innisum*"; sic James in ed. 1599. *innisum* plane spectat *ne innitaris prudentiæ tuæ* in Bib. Sac. Vulgatæ Ed. (Proverbiorum iii. 5.)
6 *Innisus* AB, contra plurimos codd.
7 *nimiaque* B.

rum adimit tam amorem quam studium: et sic cedit[1] paupertas hodie per abusum[2] in verbi Dei dispendium, quam solum propter ipsius[3] adminiculum elegistis.

1 *succedit* D.
2 *usum* C.
3 *propter solum* et om. *ipsius* B.

Vincis pomorum, ut populus fabulatur, puerulos ad religionem attrahitis, quos professos doctrinis non instruitis[4] vi et metu, sicut exigit ætas illa, sed mendicativis discursibus sustinetis intendere, atque tempus, quo possent addiscere, in captandis favoribus amicorum consumere sinitis in offensam parentum, puerorum periculum et ordinis detrimentum. Sicque nimirum contingit, quod qui parvuli discere minime cogebantur inviti, grandiores effecti docere præsumunt indigni penitus et indocti, et parvus error in principio, maximus fit in fine. Succrescit namque in grege vestro promiscuo, laicorum quædam multitudo plurimum onerosa, qui tamen se ad prædicationis officium tanto improbius ingerunt, quanto minus ea quæ loquuntur intelligunt, in contemptum[5] sermonis divini et in perniciem animarum. Sane contra legem in bove aratis et asino, cum indoctis

4 *instructis* A.
5 *conceptum* B.

et doctis[1] culturam agri Dominici committitis pari passu. Scriptum est, boves arabant et asinæ pascebantur juxta eos. Quoniam discretorum interest prædicare, simplicium vero per auditum sacri eloquii sub silentio se cibare. Quot lapides mittitis in acervum Mercurii his diebus? Quot eunuchis sapientiæ nuptias procuratis? Quot cæcos speculatores super muros ecclesiæ circuire præcipitis? O piscatores inertes solis retibus alienis utentes, qui rupta vix[2] imperite reficitis: nova vero nullatenus commodatis, aliorum labores intratis, aliorum studia recitatis,[3] aliorum sapientiam superficialiter repetitam theatrali strepitu labiatis. Quemadmodum psittacus idiota auditas voces effigiat, sic tales recitatores fiunt omnium, sed nullius auctores; asinam Balaam imitantes, quæ licet esset intrinsecus insensata, lingua tamen diserta facta est tam domini quam prophetæ magistra. Resipiscite[4] pauperes Christi et nos libros inspicite studiose, sine quibus in præparationem evangelii pacis nunquam poteritis debite calciari. ✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠

1 *et doctis* om. C.

2 *vix* om. C.

3 *aliorum labores intratis, aliorum studia recitatis* om. D.

4 *Respicite* BCD.

Paulus apostolus, prædicator[1] veritatis et doctor eximius gentium, ista sibi per Timotheum, pro omni supellectili, tria jussit afferri, penulam, libros et membranas, secunda ad Timotheum, ultimo. Viris evangelicis formam præbens, ut[2] habitum deferant ordinatum, libros habeant ad studendi subsidium, et membranas quas apostolus maxime ponderat ad scribendum; maxime, inquit, membranas. Revera mancus est clericus[3] et ad multorum jacturam turpiter mutilatus,[4] qui artis scribendi totaliter est ignarus. Aerem vocibus verberat et præsentes tantum ædificat, absentibus et posteris nihil parat. Atramentarium scriptoris gestabat in renibus vir, qui frontes gementium Thau signabat; Ezechielis nono. Insinuans figurate, quod si quis scribendi peritia careat, prædicandi pœnitentiam[5] officium non præsumat.

1 *prædicator apostolus* A.

2 *et* D.

3 *est ille clericus* B.

4 *micculatus* B.

5 *provinciam* D.

Tandem in præsentis calce capituli supplicant vobis libri, juvenes vestros aptos ingenio studiis applicate, necessaria ministrantes, quos non solummodo bonitatem verum etiam discipli-

nam et scientiam doceatis, verberibus terreatis, attrahatis blanditiis, molliatis munusculis, et pœnosis rigoribus urgeatis, ut et Socratici moribus et doctrinis Peripatetici simul fiant. Heri quasi hora undecima vos discretus paterfamilias introduxit in vineam; ante sero penitus pigeat otiari. Utinam cum prudenti villico mendicandi tam improbe verecundiam haberetis. Nunc enim[1] proculdubio, nobis[1] libris et studio propensius vacaretis. ✠✠✠

1 *enim* et *nobis* om. D.

Capitulum Septimum

+ Querimonia librorum[2] contra bella +

2 *librorum* om. D.

Pacis auctor et amator altissime, dissipa gentes bella volentes, quæ super omnes pestilentias libris nocent. Bella namque carentia rationis judicio, furiosos efficiunt impetus in adversa: et dum rationis moderamine non utuntur, sine differentia discretionis pro-

gressa, basa destruunt rationis. Nunc prudens Apollo Phitoni subjicitur: et tunc Phronesis[1] pia mater in phrenesis redigitur potestatem. Nunc pennatus[2] Pegasus stabulo Scorpionis[3] includitur, et facundus Mercurius suffocatur. Nunc Pallas prudens erroris mucrone conciditur, et jucundæ Pierides truculenta furoris tyrannide supprimuntur. O crudele spectaculum, ubi Phœbum philosophorum, archisophum Aristotelem, cui in orbis dominum Deus ipse commisit dominium, scelerosis manibus vinculatum, ferramentis infamibus compeditum, lanistarum humeris a Socratis[4] ædibus asportari, et qui in mundi magistratum magisterium atque super imperatorem imperium meruit obtinere, injustissimo jure belli videres subjici vili scurræ! O potestas iniquissima tenebrarum, quæ Platonis non veretur pessumdare divinitatem[5] probatam, qui solus conspectui creatoris, priusquam bellantis chaos placaret litigium et antequam hylen[6] endelechia induisset, species ideales objicere dignus fuit, ut mundum archetypum demonstraret auctori, quo

1 *frenesis* in *frenesis* mutat A.
2 *pennatus* om. C.
3 *statuble corridens* D.
4 *sacratis* CD.
5 *deitatem* A.
6 *kylem* D.

de superno exemplo mundus sensibilis ducere-
tur. O lacrymosus intuitus! quo moralis So-
crates, cujus actus, virtus et sermo est doctrina, qui
de naturæ principiis politiæ[1] produxit justitiam, vi-
tiosi vespillonis[2] addictus cernitur servituti! Py-
thagoram plangimus harmoniæ parentem bellorum
incentricibus furiis flagellatum atrociter, vice cantus
gemitus[3] edere columbinos. Miseremur Zeno-
nis principis Stoicorum, qui ne consilium proderet,
linguam morsu[4] secuit et exspuit in tyrannum in-
trepide. Heu jam rursus a Diomedonta[5] tritus
in mortario[6] pistillatur!

Certe non sufficimus singulos libros luctu[7]
lamentari condigno, qui in diversis mundi
partibus bellorum discrimine perierunt. Horribi-
lem tamen stragem, quæ per auxiliares[8] milites
primo[9] bello Alexandrino contigit in Ægypto,[10]
stylo flebili memoramus, ubi septuaginta millia
voluminum ignibus conflagrarunt, quæ sub regi-
bus Ptolomæis per multa curricula temporum
sunt collecta, sicut retractat[11] Aulus Gellius
Noctium Atticarum libro sexto, capitulo sexto

1 *poliæ* D.
2 *vispilionis* AB C, *vispillonis* D.
3 *gemitus* om. B.
4 *morsi* B.
5 *a diomedonta* ABD, *adiomedonta* C.
6 *tortario* C.
7 *luctui* D.
8 *auxiliatores* A.
9 Sic A. *secundo* aliquot codd.
10 *Ægypto* om. C.
11 *recitat* BD.

decimo. Quanta proles Atlantica tunc occubuisse putabitur, orbium motus, omnes conjunctiones planetarum, galaxiæ naturam, et generationes prognosticas cometarum, ac quæcumque in cœlo fiunt vel æthere comprehenduntur! Quis tam infaustum holocaustum, ubi loco cruoris incaustum offertur, non exhorreat, ubi pruinæ candentes pergameni crepitantis sanguine vernabantur, ubi tot innocentium millia, in quorum ore non est inventum mendacium, flamma vorax consumpsit: ubi tot scrinia veritatis æternæ ignis parcere nesciens in fœtentem cinerem commutavit.[1] Minoris facinoris æstimatur tam[2] Jeptæ quam Agamemnonis victima, ubi pia filia virgo patris gladio jugulatur. Quot labores celebris[3] Herculis tunc periisse putabimus, qui ob astronomiæ peritiam, collo irreflexo,[4] cœlum describitur sustulisse, cum jam secundo Hercules flammis sit injectus.

Arcana cœlorum, quæ Jonithus[5] non[6] ab homine neque per hominem didicit, sed divinitus inspiratus accepit; quæque Zoroastes[7] germanus ejusdem immundorum[8] servitor spirituum Bac-

1 *commutatur* notatur corrigendum in C.
2 *iam* B; forsan *tam* inchoatum.
3 *scelebris* B.
4 *reflexo* B.
5 *Ionithus* AB, *Ionichus* D, *Iovi et thus* C.
6 *non* om. C.
7 *quem Rosoastes* D.
8 *quæque Zoroastes germanus ejusdem immundorum* om. C.

trianis disseruit, quem etiam sanctus Enoch Paradisi præfectus, priusquam transferretur de sæculo, prophetavit; imo quæ primus Adam filios docuit, sicut raptus in extasi in libro æternitatis prævideret, flammis illis nefandis probabiliter æstimantur destructa.

Egyptorum religio,[1] quam liber Logostilios[2] sic commendat egregie, politia veterum Athenarum, quæ novem millibus annorum Athenas Græciæ præcesserunt, carmina Chaldæorum, considerationes Arabum et Indorum,[3] cæremoniæ Judæorum, architectura Babyloniorum, Noe georgica, Moysi præstigia, Josuæ planimetria, Samsonis ænigmata, Salomonis problemata a cedro Libani usque ad hyssopum planissime disputata, Asculapii antidota, Cadmi grammatica, Parnassi poemata, Apollinis oracula, argonautica Jasonis, stratagematon Palamedis, et alia infinita scientiarum secreta, hujus incendii tempestate creduntur sublata.

Nimquid Aristotelem de circuli quadratura syllogismus apodicticus latuisset, si libros

1 *legio* B.

2 *Logostilios* AB CD plerisque cum aliis.

3 *Medorum* C.

veterum, methodos naturæ totius habentium, permisissent[1] nefanda prœlia superesse? Nec enim de mundi æternitate problema neutrum fecisset, nec de intellectuum humanorum pluralitate eorundemque perpetuitate, ut verisimiliter creditur, dubitasset ullatenus, si perfectæ scientiæ veterum invisorum bellorum pressuris obnoxiæ[2] non fuissent. ❧ ❧ Per bella namque ad patrias[3] peregrinas distrahimur, obtruncamur, vulneramur, et enormiter mutilamur, sub terra suffodimur, in mari submergimur, flammis exurimur, et omni necis genere trucidamur. Quantum sanguinis nostri fudit Scipio bellicosus cum eversioni Carthaginis Romani imperii impugnatricis et æmulæ anxius incumbebat! Quot millia millium prœlium decennale Trojanum ab hac luce transmisit![4] Quot per Antonium Mullio jam occiso, externarum provinciarum latebras adierunt! Quot de nobis per Theodoricum exsulante Boethio, in diversa mundi climata sicut oves pastore percusso sunt dispersi! Quot Seneca succumbente Neronis malitiæ,[5] cum et volens et nolens[6] portas mortis

1 *promisissent* B.
2 *obnixæ* AC.
3 *partes* D.
4 Hanc sententiam om. B.
5 *malitia* B.
6 *et nolens* om. C.

adiret, ab eo divisi retrocessimus lacrymantes, et in quibus partibus hospitari possemus penitus ignorantes.

Felix fuit illa librorum translatio, quam in Persas de Athenis Xerxes fecisse describitur, quos rursus de Persis in Athenas Seleucus reduxit. O postliminium gratiosum, O mira lætitia, quam tunc cerneres in Athenis cum proli suæ genetrix obviaret tripudians, matricemque thalamum senescenti jam soboli denuo demonstraret,[1] reassignatis hospitiis veteribus inquilinis. Mox tabulata[2] cedrina cum lignis[3] et trabibus lævigatis aptissime complanantur, auro et ebore epigrammata designantur camerulis singulis, quibus ipsa volumina reverenter illata suavissime collocantur, sic ut nullum alterius ingressum impediat vel[4] propinquitate nimia fratrem lædat.

Cæterum infinita sunt dispendia, quæ per[5] seditiones bellorum, librorum[6] generi sunt illata. Et quoniam infinita nullatenus pertransire contingit,[7] hic finaliter statuemus querimoniæ nostræ Gades[8] et ad preces a quibus incepimus

1 *demonstrasset* B.
2 *tribulata* D.
3 *linguis* AD.
4 *vel* om. B.
5 *ad* C.
6 *librorum* om. ACD.
7 *contigit* C.
8 *gaudes* D.

regpramus habenas, rogantes suppliciter ut rector Olympi ac totius mundi dispensator Altissimus pacem firmet et bella removeat, ac tempora faciat sua protectione tranquilla.

Capitulum Octavum

• De multiplici opportunitate quam habuimus librorum copiam conquirendi •

Cum omni negotio tempus sit et[1] opportunitas, ut testatur sapiens Ecclesiastes, capitulo[2] octavo,[3] jam progredimur enarrare multiplices opportunitates, quibus in acquisitione librorum, nostris propositis divinitate propitia, juvabamur. Quamvis enim ab adolescentia nostra semper socialem communionem cum viris literatis et librorum dilectoribus[4] delectaremur habere, succedentibus tamen prosperis regiæ majestatis consecuti notitiam, et

1 *ut* D.

2 *capitulo* om. AC.

3 Cf. Eccle. VIII. 6 (Vulg. Ed.).

4 *dilectoribus* om. C.

in ipsius acceptati familiam, facultatem accepimus ampliorem ubilibet visitandi pro libitu,[1] et venandi quasi saltus quosdam delicatissimos, tum privatas tum communes, tum regularium tum sæcularium librarias.

SAne dum invictissimi principis ac semper magnifice triumphantis regis Angliæ Edwardi Tertii post conquestum, cujus tempora serenare[2] dignetur Altissimus diutine et tranquille, primo quidem suam concernentibus curiam, deinde vero rempublicam regni sui cancellarii videlicet ac thesaurarii fungeremur officiis, patescebat nobis aditus facilis, regalis favoris intuitu, ad librorum latebras libere perscrutandas.

AMoris quippe nostri fama volatilis jam ubique percrebuit, tantumque librorum et maxime veterum ferebamur[3] cupiditate languescere; posse vero quemlibet nostrum per quaternos facilius quam per pecuniam adipisci favorem: quamobrem cum supra dicti Principis recolendæ memoriæ bonitate[4] suffulti possemus obesse et prodesse, officere et proficere vehementer tam majoribus quam

1 *libito* B.

2 *servare* CD.

3 *ferebatur* B.

4 *bonitate* om. A, *bonitati* B.

pusillis, affluxerunt loco exemiorum et munerum, locoque donorum et jocalium, cænulenti quaterni ac decrepiti codices, nostris tamen tam aspectibus quam affectibus pretiosi. ✣✣✣✣✣✣✣✣✣✣✣✣✣✣✣

Tunc nobilissimorum monasteriorum aperiebantur armaria, referebantur scrinia et cistulæ solvebantur,[1] et per longa sæcula in sepulchris soporata volumina expergiscuntur attonita, quæque in locis[2] tenebrosis latuerant,[3] novæ lucis radiis perfunduntur. Delicatissimi quondam libri corrupti et abominabiles jam effecti murium fœtibus cooperti, et vermium morsibus terebrati, jacebant exanimes, et qui olim purpura vestiebantur et bysso, nunc in cinere et cilicio recubantes, oblivioni traditi videbantur domicilia tinearum. ✣✣✣✣✣

Inter hæc nihilominus captatis temporibus magis voluptuose consedimus,[4] quam fecisset medicus delicatus inter aromatum apotheças, ubi amoris nostri objectum reperimus et fomentum. Sic sacra vasa scientiæ ad nostræ dispensationis provenerunt[5] arbitrium; quædam data, quædam vendita, ac nonnulla pro tempore commodata. ✣✣✣

1 *et cistulæ solvebantur* om. D.

2 *lucis* A, *lucis* in *locis* corr. C.

3 *statuerant* A.

4 *concedimus* A B, *concedimus* in *consedimus* corr. C.

5 *pervenerunt* D et C?

Mirum cum nos plerique de hujusmodi donariis cernerent contentatos, ea sponte nostris usibus studuerunt tribuere quibus ipsi libentius caruerunt, quam ea nostris assistentes servitiis abstulerunt. Quorum tamen negotia sic expedire curavimus gratiose, ut et[1] eisdem emolumentum accresceret, nullum tamen justitia detrimentum sentiret.

Porro si scyphos aureos et argenteos, si equos egregios, si nummorum summas non modicas amassemus, tunc temporis dives nobis ærarium instaurasse[2] possemus. Sed revera libros non libras maluimus codicesque plus dileximus quam florenos ac panfletos exiguos incrassatis prætulimus palefridis. Ad hæc ejusdem illustrissimi Principis[3] sempiternæ memoriæ legationibus crebris functi, et ob multiplicia regni negotia, nunc ad sedem Romanam, nunc ad curiam Franciæ, nunc ad mundi diversa dominia tædiosis[4] ambassiatibus ac periculosis temporibus mittebamur, circumferentes tamen ubique illam quam aquæ plurimæ nequiverunt exstinguere, charitatem librorum.

1 *et* om. D.

2 *instaurare* BD.

3 *Principis* om. B.

4 *seditiosis* A.

Hæc omnium peregrinationum absinthia quasi quædam pigmentaria potio dulcorabit. Hæc post perplexas intricationes et scrupulosos causarum anfractus ac vix egressibiles reipublicæ labyrinthos ad respirandum parumper temperiem auræ lenis aperuit.

O beate Deus Deorum in Spon, quantus impetus fluminis voluptatis lætificabit cor nostrum, quotiens paradisum mundi Parisius visitare vacabimus moraturi: ubi nobis semper dies pauci præ amoris magnitudine videbantur. Ubi bibliothecæ jucundæ super cellas aromatum redolentes: ibi[1] virens viridarium universorum voluminum: ibi prata academica trementia terræmotu, Athenarum diverticula, Peripateticorum itinera, Parnassi promontoria et porticus Stoicorum: ibi cernitur tam artis quam scientiæ mensurator Aristoteles, cujus est totum quod est optimum in doctrinis, in regione duntaxat transmutabili sublunari:[2] ibi Ptolemæus epicyclos et eccentricos auges atque Genzachar planetarum figuris et numeris[3] emetitur: ibi Paulus arcana revelat:

1 *ubi* B.

2 *sublimari* B.

3 *muneris* D.

ibi Dionysius convicinus hierarchias coordinat et distinguit: ibi quicquid Cadmus grammaticæ recollegit[1] Phoeniceo totum virgo Carmentis characterе repræsentat Latino: ibi revera thesauris apertis et sacculorum corrigiis resolutis, pecuniam læto corde dispersimus, atque libros impretiabiles luto redemimus et arena.

Equaquam malum est, malum est, insonuit omnis emptor. Sed ecce quam bonum et quam jucundum, arma clericalis militiæ congregare in unum, ut suppetat nobis unde hæreticorum bella conterere, si insurgant. Amplius opportunitatem maximam nos captasse cognoscimus per hoc, quod ab ætate tenera, magistrorum et scholarium ac diversorum artium professores, quos ingenii perspicacitas ac doctrinæ celebritas clariores effecerant, relegato quolibet partiali favore, exquisitissima sollicitudine, nostræ semper conjunximus comitibæ;[2] quorum consolativis colloquiis confortati, nunc argumentorum ostensivis investigationibus, nunc physicorum processuum ac catholicorum doctorum tractatuum recitationibus, nunc moralitatum

1 *recolligit* BCD.

2 *commerciæ* D.

exercitativis collationibus velut alternatis et multiplicatis ingenii ferculis, dulcius fovebamur. Tales in[1] nostro tyrocinio commilitones elegimus; tales in thalamo collaterales habuimus; tales in itinere comites; tales in hospitio commensales; et tales penitus in omni fortuna sodales. Verum quia nulla[2] felicitas diu durare permittitur, privabamur nonnunquam luminum aliquorum præsentia corporali, cum eisdem promotiones ecclesiasticæ ac dignitates debitæ, prospiciente de cœlo justitia, provenerunt, quo fiebat ut incumbentes, sicut oportuit, curæ propriæ, se a[3] nostris cogerentur obsequiis absentare.

1 *enim* D.

2 *Verumque nulla* ACD.

3 *a* om. B.

Rursus compendiosissimam semitam subjungemus, per quam ad manus nostras librorum pervenit tam veterum quam novorum plurima multitudo. Religiosorum siquidem mendicantium paupertatem susceptam pro Christo nunquam indignantes horruimus: verum ipsos ubique terrarum in nostræ compassionis ulnas admisimus mansuetas, affabilitate familiarissima in personæ nostræ devotionem alleximus, aller-

tosque[1] beneficiorum liberalitate munifica fovimus propter Deum; quorum sic eramus omnium benefactor communis,[2] ut nihilominus videremur quadam paternitatis proprietate singulos adoptasse. Estis in statu quolibet facti sumus refugium, istis nunquam clausimus gratiæ nostræ sinum, quamobrem istos votorum nostrorum peculiarissimos zelatores habere meruimus et tam opere[3] quam opera promotores. Qui circueuntes[4] mare et aridam ac orbis ambitum perlustrantes, universitates quoque diversarumque[5] provinciarum generalia studia perscrutantes, nostris desideriis militare studebant, certissima spe mercedis.

Quis inter tot argutissimos venatores lepusculus delitesceret?[6] Quis pisciculus istorum[7] nunc hamos, nunc retia, nunc sagenas evaderet?

E corpore sacræ legis divinæ usque ad quaternum sophismatum hesternorum, nihil istos præterire potuit scrutatores. Si in fonte fidei Christianæ, Curia sacrosancta Romana, sermo devotus insonuit, vel si pro novis causis quæs-

1 *allectasque* ACD.
2 *benefactorum communis* B.
3 *ope* A.
4 *circumeuntes* BC.
5 *que* om. B.
6 *deliteret* ACD.
7 *istorum* om. B.

tio ventilabatur extranea; si Parisiensis solidita̅s, quæ plus antiquitati discendæ quam[1] veritati subtiliter producendæ jam studet; si Anglicana perspicacitas, quæ antiquis perfusa luminaribus novos semper radios veritatis emittit, quicquid ad augmentum scientiæ vel declarationi fidei promulgabat; hoc statim nostris recens infundebatur auditibus, nullo devirginatum[2] seminiverbio,[3] nulloque nugace corruptum, sed de prælo purissimi torcularis in nostræ memoriæ dolia defæcandum[4] transibat.

Cum vero nos ad civitates et loca contingeret declinare, ubi præfati pauperes conventus habebant, eorum armaria ac quæcunque librorum repositoria visitare non piguit: imo ibi in altissima paupertate, altissimas divitias sapientiæ thesaurizatas invenimus: et non solum in eorum sarcinulis et sportellis, micas de mensa dominorum cadentes reperimus pro catellis, verum panes[5] propositionis absque[6] fermento, panemque angelorum omne in se delectamentum habentem: imo horrea Joseph plena frumentis, totamque Ægypti

1 *quam* om. B.

2 *devirginatum* AD et quidam codd. vetustiores, *denrigmatum* B et cod. in Coll. S. Mar. Magdalen. Oxon., *denigratum* C et alii.

3 *seminiverbio* ABCD, *seminiverbo* idem. cod. Magdalensis et ed. 1599, *semi verbo* et *semiverbio* codd. recentiores.

4 *deferendum* C.

5 *verum etiam panes* D.

6 *atque* D.

supellectilem, atque dona ditissima, quæ regina Saba[1] detulit Salomoni.

Hi sunt formicæ continue congregantes in messem et apes argumentosæ fabricantes jugiter cellas mellis. Hi successores Beseleel ad excogitandum quicquid fabrefieri poterit in argento et auro et[2] gemmis, quibus templum ecclesiæ decoretur.[3] Hi prudentes polymitarii, qui superhumerale ac rationale pontificis, sed et vestes varias efficiunt sacerdotum. Hi cortinas, saga, pellesque arietum rubricatas resarciunt, quibus ecclesiæ militantis tabernaculum contegatur; agricolæ seminantes, boves triturantes, tubæ buccinantes, Pleiades emicantes et stellæ[4] manentes in ordine suo, quæ Sisaram expugnare non cessant. Et ut veritas honoretur, salvo præjudicio cujuscunque, licet hi nuper hora undecima vineam sint ingressi Dominicam, sicut amantissimi nobis libri capitulo sexto supra anxius allegabant, plus tamen in hac[5] hora brevissima sacratorum librorum adjecerunt propagini[6] quam omnes residui vinitores, Pauli sectantes vestigia, qui vocatione novissi-

1 *Sibilla* AB.
2 *ac* A.
3 *decoraretur* A.
4 *stellas* B.
5 *hac* om. C.
6 *pagini* B.

mus, prædicatione primus, multo latius aliis evangelium Christi sparsit. De istis ad statum pontificalem assumpti, nonnullos habuimus de duobus ordinibus, Prædicatorum videlicit et Minorum, nostris assistentes lateribus, nostræque familiæ commensales, viros utique tam moribus insignitos quam litteris: qui diversorum voluminum correctionibus, expositionibus, tabulationibus, ac compilationibus, indefessis studiis incubabant.[1]

1 *incumbebant* B.

Sane quamvis omnium religiosorum communicatione multiplici, plurimorum operum copiam tam novorum quam veterum assecuti fuerimus, Prædicatores tamen extollimus merito speciali præconio in hac parte, quod eos præ cunctis religiosis, suorum sine invidia gratissimæ communicationis invenimus, ac divina quadam liberalitate perfusos, sapientiæ luminosæ probavimus non avaros sed idoneos possessores.

2 *potestas* D.

Præter has omnes opportunitates prætactas,[2] stationariorum ac librariorum notitiam non solum infra natalis soli provinciam, sed per reg-

num Franciæ, Teutoniæ et Italiæ dispersorum comparavimus, faciliter pecunia prævolante: nec eos ullatenus impedivit distantia, neque furor maris absterruit, nec æs eis[1] pro expensa defecit, quin ad nos optatos libros transmitterent vel afferrent. Sciebant profecto, quod spes eorum[2] in sinu nostro reposita defraudari non poterat, sed restabat apud nos copiosa redemptio cum usuris.

Denique nec rectores scholarium ruralium puerorumque rudium pædagogos nostra neglexit communio, singulorum captatrix amoris. Sed potius cum vacaret eorum hortulos et agellos ingressi, flores superficietenus redolentes collegimus, ac radices effodimus obsoletas, studiosis tamen accommodas, et quæ possent, digesta barbarie rancida,[3] pectorales arterias eloquentiæ munere medicari. Inter hujusmodi pleraque, comperimus renovari dignissima, quæ sollerter elimata rubigine turpi, larva vetustatis deposita, merebantur venustis vultibus denuo reformari. Quæ nos, adhibita necessariorum sufficientia, in futuræ[4] resurrectionis exemplum resuscitata quodammodo, redivivæ reddidimus sos-

1 *nec eos eis* B.

2 *eorum* om. C.

3 *raucida* B.

4 *futurus* A, *futurum* BD.

pitati. Ceterum apud nos in nostris maneriis multitudo non modica semper erat antiquariorum, scriptorum, correctorum, colligatorum, illuminatorum et generaliter omnium, qui poterant librorum servitiis utiliter insudare.

Postremo omnes utriusque sexus, omnisque status vel dignitatis conditio, cujus erat cum libris aliquale commercium, cordis nostri januas pulsu[1] poterat aperire facillimo, et in nostræ gratiæ gremio commodosum reperire cubile. Sic omnes admisimus codices afferentes, ut nunquam præcedentium multitudo fastidium posteriorum efficeret vel hesternum beneficium præcollatum[2] præjudicium pareret hodierno. Quapropter cum omnibus memoratis personis, quasi quibusdam adamantibus attractivis librorum, jugiter uteremur, fiebat ad nos desideratus accessus vasorum scientiæ, et multifarius volatus voluminum optimorum.

Hoc est, quod præsenti[3] capitulo sumpsimus enarrare.

1 *pulsi* B.

2 *præcellatum* B.

3 *quod de præsenti* D.

Capitulum Nonum

Quod licet opera veterum amplius amaremus
Non tamen damnavimus[1] studia[2] modernorum

1 *invidimus* AB.
2 *studiis* A.



Licet nostris desideriis novitas modernorum nunquam fuerit odiosa, qui vacantes studiis, ac priorum patrum sententiis quicquid vel subtiliter vel utiliter adjicientes, grata semper affectione coluimus,[3] antiquorum tamen examinatos labores securiori aviditate cupivimus perscrutari. Sive enim naturaliter viguerunt perspicaciori mentis ingenio, sive instantiori studio forsitan indulserunt,[4] sive utriusque suffulti subsidio profecerunt, hoc unum comperimus evidenter, quod vix sufficiunt successores priorum comperta discutere, atque ea per doctrinæ captare compendium, quæ antiqui anfractuosis adinventionibus effoderunt. Sicut enim

3 *columus* B, *colimus* C.

4 *sive instantiori studio forsitan indulserunt* om. B.

in corporis probitate præstantiores legimus præcessisse quam moderna tempora exhibere noscantur, ita luculentioribus sensibus præfulsisse plerosque veterum opinari, nullatenus est absurdum, cum utrosque opera quæ gesserunt inattingibiles posteris æque præbent. Unde Phocas in prologo grammaticæ suæ scribit:

1 *sunt* D.

Omnia cum veterum sint[1] explorata libellis,
Multa loqui breviter sit novitatis opus.

Nempe si de fervore discendi et diligentia studii fiat sermo, illi philosophiæ vitam totam integre devoverunt. Nostri vero sæculi contemporanei, paucos annos fervidæ juventutis æstuantes, vicissim incendiis vitiorum segniter applicant, et cum sedatis passionibus, discernendæ ambiguæ veritatis acumen attigerint, mox externis implicati negotiis retrocedunt et philosophiæ gymnasiis valedicunt. Mustum fumosum juvenilis ingenii philosophicæ difficultati delibant, vinumque maturius[2] defæcatum œconomicæ sollicitudini largiuntur. Amplius sicut Ovidius, primo De Vetula, merito lamentatur:

2 *maturis* C.

Omnes declinant[1] ad ea quæ lucra ministrant.
Utque[2] sciant discunt pauci, plures ut abundent.
Sic te prostituunt, O virgo scientia! sic te
Venalem faciunt castis amplexibus aptam,
Non te propter te quærentes, sed lucra per te:
Ditarique volunt potius quam philosophari.

1 *Omnis declinat* C.
2 *Ut quæ* C.

Et infra:

Sic Philosophia
Exilium patitur, et Philopecunia regnat.

Quam constat esse violentissimum toxicum disciplinæ.

Qualiter vero non alium terminum studio posuerunt antiqui quam vitæ, declarat Valerius ad Tiberium libro octavo, capitulo septimo, per exempla multorum. Carneades, inquit, laboriosus ac diutinus sapientiæ miles fuit. Siquidem expletis nonaginta annis idem illi vivendi ac philosophandi finis fuit. Esocrates[3] nonagesimum quartum annum agens, nobilissimum librum scripsit. Sophocles prope centesimum annum agens, Simonides octogesimo anno carmina scripsit. A. Gellius non affectavit diutius vivere, quam esset idoneus ad

3 *Isocrates* AC, codd. Arundel 335, Corp. Christi Oxon. CCXXII; *Ysocrates* cod. LXXXI Coll. Lincoln. Oxon.; alibi *Socrates, Et Socrates, Consocrates.*

scribendum, teste se ipso in prologo Doctium Atticarum. Fervorem vero studii, quem habebat Euclides Socraticus, recitare solebat Taurus philosophus, ut juvenes ad studium animaret, sicut refert A. Gellius libro sexto, capitulo decimo, voluminis memorati: Athenienses namque cum Megarenses odirent, decreverunt, quod si quis de Megarensibus Athenas intraret, capite plecteretur. Tunc Euclides, qui Megaris erat, et ante illud decretum Socratem audierat, muliebri ornamento contectus,[1] de nocte ut Socratem audiret, ibat de Megaris ad Athenas viginti millia passuum et redibat. Imprudens et nimius fuit fervor Archimedis, qui geometricæ facultatis amator nomen edisserere noluit, nec a figura protracta caput erigere, quo vitæ[2] mortalis fatum poterat prolongasse; sed indulgens studio[3] plus quam vitæ, studiosam figuram vitali sanguine cruentavit. Quam plurima hujus[4] nostri propositi sunt exempla, nec ea quidem transcurrere brevitas affectata permittit. Sed quod dolentes referimus, iter prorsus diversum

1 *contentus* B.

2 *vice* B.

3 *studio* om. D.

4 *huiusmodi* CD.

incedunt clerici celebres his diebus. Ambitione siquidem in ætate tenera laborantes, ac præsumptionis pennas Icareas inexpertis lacertis fragiliter coaptantes, pileum magistralem immaturi præripiunt; fiuntque pueruli facultatum plurium professores immeriti,[1] quas nequaquam pedetentim pertranseunt, sed ad instar caprearum saltuatim ascendunt. Cumque parum de grandi torrente gustaverint, arbitrantur se totum funditus sorbuisse, vix faucibus humectatis; et quia in primis rudimentis tempore congruo non fundantur super debile fundamentum, opus ædificant ruinosum. Famque provectos pudet addiscere, quæ tenellos decuerat[2] didicisse, et sic profecto coguntur perpetuo luere quod ad fastes indebitos præpropere salierunt. Propter hæc et his[3] similia, tyrones scholastici soliditatem doctrinæ quam veteres habuerunt, tam paucis lucubratiunculis non attingunt, quantumcunque[4] fungantur honoribus, censeantur nominibus, auctorizentur habitibus, locenturque solemniter in cathedris seniorum. Prisciani regulas et Donati[5] statim de cunis[6] erepti et celeriter ablactati

1 *inmetiri* (?) A.
2 *docuerat* B.
3 *aliis* B.
4 *quantumque* D.
5 *et Donati* om. C.
6 *de cuius* B.

perlingunt; Categorias et Perihermenias, in cujus scriptura summus Aristoteles calamum in corde tinxisse confingitur,[1] infantili balbutie resonant impuberes[2] et imberbes. Quarum[3] facultatum itinera dispendioso compendio damnosoque diplomate transmeantes, in sacrum Moysen manus injiciunt violentas, ac se tenebrosis aquis in nubibus aeris facialiter[4] aspergentes, ad pontificatus infulam caput parant,[5] nulla decoratum canitie senectutis. Promovent plurimum istam pestem juvantque ad istum phantasticum clericatum tam pernicibus passibus attingendum papalis provisio seductivis precibus impetrata, necnon et preces, quæ repelli non possunt, cardinalium et potentium, amicorum cupiditas et parentum, qui ædificantes Syon in sanguinibus prius suis nepotibus et alumnis ecclesiasticas dignitates anticipant quam naturæ successu vel doctrinæ temperie maturescant.

Sto[6] proh dolor paroxysmo quem plangimus, Parisiense palladium nostris mœstis temporibus cernimus jam sublatum, ubi tenuit, imo

1 *in corde tinxisse confingitur* om. C.
2 *impubens* D.
3 *Quorum* A.
4 *faciliter* D.
5 *paratum* A.
6 *Iste* B.

fere friguit zelus scholæ tam nobilis, cujus olim radii lucem dabant universis angulis orbis terræ. Quiescit ibidem jam calamus omnis scribæ, nec librorum generatio propagatur ulterius, nec est qui incipiat novus auctor haberi. Involvunt sententias sermonibus imperitis, et omnis logicæ proprietate privantur; nisi quod Anglicanas[1] subtilitates, quibus palam detrahunt, vigiliis furtivis addiscunt. ✻←✻←✻←✻←✻←✻←✻←✻←✻←

1 *angelicas* in *anglicas* corr. C.

Minerva mirabilis nationes hominum circuire videtur et a fine usque ad finem attingit fortiter, ut se ipsam communicet universis. Indos, Babylonios, Ægyptios atque Græcos, Arabes et Latinos eam pertransisse jam cernimus. Jam Athenas deseruit, jam a Roma recessit, jam Parisius præterivit, jam ad Britanniam insularum insignissimam, quin potius microcosmum, accessit feliciter, ut se Græcis[2] et Barbaris debitricem ostendat. Quo miraculo profecto conjicitur a plerisque, quod sicut Galliæ jam sophia tepescit, sic ejusdem militia penitus evirata languescit.[3]

2 *gregis* A.

3 *languescet* D.

Capitulum Decimum

De successiva perfectione librorum

Sapientiam veterum exquirentes assidue, juxta sapientis consilium Ecclesiastici tricesimo nono: Sapientiam, inquit, antiquorum omnium exquiret sapiens; non in illam opinionem dignum duximus declinandum, ut primos artium fundatores omnem ruditatem elimasse dicamus, scientes adinventionem cujusque fideli canonio[1] ponderatam, pusillam efficere scientiæ portionem; sed per plurimorum investigationes sollicitas, quasi datis symbolis singillatim,[2] scientiarum ingentia corpora ad immensas quas cernimus quantitates successivis augmentationibus succreverunt. Semperque[3] discipuli, magistrorum sententias iterata fornace liquantes, præneglectam scoriam excorerunt, donec fieret aurum electum, probatum terræ pur-

1 *fideli canonico* A, *fideli canonio* BD, *fidelis canonis* in *fideli canoni* corr. C.

2 *sigillatim* CD.

3 *Semperque* B.

gatum septuplum et perfecte, nullius erronei vel dubii admixtione fucatum. Neque enim Aristoteles, quamvis ingenio giganteo floreret, in quo naturæ complacuit experiri quantum mortalitati rationis posset annectere, quemque paulo minus ab angelis minoravit Altissimus, illa mira volumina, quæ totus vix capit orbis, ex digitis suis surit. Quin imo Hebræorum, Babyloniorum, Ægyptiorum, Chaldæorum, Persarum etiam et Medorum, quos omnes diserta Græcia in thesauros suos transtulerat, sacros libros oculis lynceis penetrando perviderat. Quorum recte dicta recipiens, aspera complanavit, superflua resecavit, diminuta supplevit et errata delevit. Ac non solum sincere docentibus, sed etiam oberrantibus regratiandum[1] censuit, quasi viam præbentibus veritatem facilius inquirendi, sicut ipsemet secundo Metaphysicæ clare docet. Sic multi jurisperiti condidere Pandectam, sic medici multi Regni, sic Avicenna Canonem, sic Plinius molem[2] illam Historiæ Naturalis, sic Ptolemæus edidit Almagesti. Quemad-

1 *regratian*

2 *violam* B.

modum namque in scriptoribus annalium considerare non est difficile, quod semper posterior præsupponit priorem, sine quo prælapsa tempora[1] nullatenus enarrare valeret; sic est in scientiarum auctoribus æstimandum. Nemo namque solus quamcunque scientiam generavit, tamen inter vetustissimos et novellos intermedios reperimus; antiquos quidem si nostris ætatibus comparentur, novos vero, si ad studiorum[2] fundamenta referantur, et istos doctissimos arbitramur.

Quid fecisset Virgilius Latinorum poeta præcipuus, si Theocritum, Lucretium et Homerum minime spoliasset, et in eorum vitula[3] non arasset? Quid nisi Parthenium Pindarumque, cujus eloquentiam nullo modo potuit imitari, aliquatenus lectitasset? Quid Sallustius, Tullius, Boethius, Macrobius, Lactantius, Martianus,[4] imo tota cohors generaliter Latinorum, si Athenarum studia vel Græcorum volumina non vidissent? Parum certe in scripturæ gazophylacium Hieronymus trium linguarum peritus, Ambrosius, Au-

1 *tempora* om. D.

2 *studiosorum* B.

3 *vincula* A.

4 *Martianus* om. C.

gustinus, qui tamen Græcas literas se fatetur odisse, imo Gregorius, qui prorsus eas se nescisse describit, ad doctrinam ecclesiæ contulissent, si nihil eisdem doctior Græcia commodasset. Cujus rivulis[1] Roma rigata, sicut prius generavit philosophos ad Græcorum effigiem, pari forma postea protulit orthodoxæ fidei tractatores. Sudores sunt Græcorum symbola quæ cantamus, eorundem declarata conciliis et multorum martyrio confirmata. Cedit tamen ad gloriam Latinorum per accidens hebetudo nativa, quoniam sicut fuerunt in studiis minus docti, sic et[2] in erroribus minus mali. Ariana nempe malitia fere totam eclipsarat[3] ecclesiam. Nestoriana nequitia, quæ blasphema rabie debacchari præsumpsit in Virginem, tam nomen quam definitionem theotocos abstulisset reginæ non pugnando sed disputando,[4] nisi miles invictus Cyrillus ad monomachiæ[5] congressum paratus eam, favente concilio Ephesino, in spiritu vehementi penitus exsufflasset. Innumerabiles nobis sunt Græcarum hæresium tam species quam auctores; nam sicut fuerunt

1 *rivuli* B.
2 *et* om. A.
3 *eclipserat* AB, *eclipsaret* D.
4 *non pugnando sed disputando* om. C.
5 *monarchiæ* B.

sacrosanctæ fidei primitivi cultores ita et primi zizaniorum satores produntur historiis fide dignis. Sicque posterius profecerunt in pejus, quod dum inconsutilem tunicam scindere molirentur,[1] claritatem doctrinæ præhabitam[2] perdiderunt[3] totaliter, ac novis tenebris excæcati, decidunt in abyssum, nisi ille sua occulta dispenset potentia, cujus sapientiam numerus non metitur.

Hæc hactenus, nam hic nobis subducitur judicandi facultas. Unum tamen elicimus ex prædictis, quod damnosa nimis est hodie[4] studio Latinorum Græci sermonis inscitia,[5] sine quo scriptorum veterum dogmata, sive Christianorum sive gentilium nequeunt comprehendi. Idemque de Arabico in plerisque tractatibus astronomicis, ac de Hebraico pro textu Sacræ Bibliæ, verisimiliter est censendum. Quibus defectibus proinde Clemens Quintus occurrit, si tamen prælati, quæ faciliter statuunt, fideliter[6] observarent. Quamobrem grammaticam tam Hebræam quam Græcam nostris scholaribus providere curavimus, cum quibusdam adjunctis,

1 *inconsutilem tunicam scindere molirentur* om. C ac pro eodem ponit *luentur*.
2 *prohibitam* B, *philosophicam* C.
3 *prodiderunt* B.
4 *est hodie nimis* B.
5 *inscientia* B.
6 *faciliter* C.

quorum adminiculo studiosi lectores in dictarum linguarum scriptura, lectura,[1] necnon etiam intellectu plurimum poterunt informari, licet proprietatem idiomatis solus auditus aurium animæ repræsentet.

1 *lectura* om. B.

Capitulum Undecimum

Quare libros liberalium artium[2] prætulimus libris juris

2 *literarum* D.

Uris positivi lucrativa peritia dispensandis terrenis accommoda,[3] quanto hujus sæculi filiis famulatur utilius, tanto minus ad capescenda sacræ scripturæ mysteria et arcana fidei sacramenta filiis lucis confert, utpote quæ disponit peculiariter ad amicitiam hujus mundi, per quam homo, Jacobo attestante, Dei constituitur inimicus. Hæc nimirum lites humanas, quas infinita producit cupiditas, intricatis legibus, quæ ad utrumlibet[4] duci possunt, extendit crebrius quam

3 *accommodata* B.

4 *utrumque* BD.

exstinguit; ad quas tamen sedandas a jurisconsultis et piis principibus noscitur emanasse. Sane cum contrariorum sit eadem disciplina, potentiaque rationalis ad opposita valeat, simulque[1] sensus humanus proclivior sit ad malum, hujus facultatis exercitatoribus accidit, ut plerumque litibus intendendis[2] indulgeant plusquam paci, et jura non ad legislatoris intentum referant, sed ad suæ machinationis effectum verba retorqueant violenter.

Quamobrem licet mentem nostram librorum amor hærens[3] possideret a puero, quorum zelo languere[4] vice voluptatis accepimus, minus tamen librorum civilium appetitus nostris adhæsit affectibus, minusque hujusmodi voluminibus acquirendis concessimus tam operæ quam impensæ. Sunt enim utilia, sicut scorpio in[5] theriaca quemadmodum libro De Pomo Aristoteles, sol doctrinæ, de logica definivit. Cernebamus etiam inter leges et scientias quamdam naturæ differentiam manifestam,[6] dum omnis scientia jucundatur et appetit, quod suorum principiorum præcordia, introspectis visceribus, pateant et[7] radices suæ

1 *similisque* B.

2 *incendendis* C.

3 *hereos* codd. fere omnes, *herous* in margine cod. Basil., *heroos* in margine cod. Colon., *hærens* (id est *herens*) scribo. Apud Quintum Curtium (Hist. Alex. Magni viii, 3, 6,) *penitus hærens amor* exstat.

4 *languescere* B, *languore* (?) *vitæ* C.

5 *et* B.

6 *differentiam habere manifestam* B.

7 *ei* C.

pullulationis emineant, suæque scaturiginis emanatio luceat evidenter; sic enim ex cognato et consono lumine veritatis conclusionis[1] ad principia, ipsum corpus scientiæ lucidum fiet totum, non habens aliquam partem tenebrarum. At vero leges,[2] cum sint quædam pacta et humana statuta ad civiliter convivendum vel juga principum superjecta cervicibus subditorum, recusant reduci ad ipsam synderesim, æquitatis originem, eo quod plus habere se timeant de voluntatis[3] imperio quam de arbitrio rationis. Quapropter causas legum discutiendas non esse suadet in pluribus sententia sapientum. Nempe consuetudine sola leges multæ vigorem acquirunt, non necessitate syllogistica sicut artes, prout secundo Politicorum adstruit Aristoteles, Phœbus scholæ, ubi politiam redarguit Hippodami, quæ novarum legum inventoribus præmia pollicetur, quia leges veteres abrogare et novas statuere est ipsarum quæ fiunt valetudinem infirmare. Quæ enim sola consuetudine stabilitatem accipiunt, hæc[4] necesse est dissuetudine dirimantur.

1 *oclusionis* A.
2 *leges* om. A.
3 *voluptatis* D.
4 *quo* B.

A quibus liquido satis constat, quod sicut leges nec artes sunt nec scientiæ, sic nec libri legum libri[1] scientiarum vel artium proprie dici possunt; nec est hæc facultas inter scientias recensenda, quam licet geologiam[2] appropriato vocabulo nominare. Libri vero liberalium literarum tam utiles sunt scripturæ divinæ, quod sine ipsorum subsidio frustra ad ipsius notitiam intellectus aspiret. ✱✱✱✱✱✱✱✱✱✱✱✱✱✱✱✱✱✱✱✱

1 *libri* om. B.

2 *geologicam* C, *geneologiam* in *geologiam* corr. D.

Capitulum Duodecimum

Quare libros grammaticales tanta diligentia curavimus[3] renovare

3 *curamus* D.

Cum librorum lectionibus foveremur assidue, quos moris erat quotidie legere vel audire, perpendimus[4] evidenter quantum impediat intellectus officium vel unius vocabuli semiplena notitia, dum nullius[5] enunciationis sententia capitur, cujus pars quan-

4 *impendimus* B.

5 *illius* A.

talibet ignoratur. Quapropter exoticorum verborum interpretationes mira sedulitate jussimus annotari antiquorumque[1] grammaticorum orthographiam, prosodiam, etymologiam et diasynthesim[2] inconcussa curiositate consideravimus, terminosque vetustate nimia caligantes descriptionibus congruis lucidare curavimus, quatenus iter[3] planum nostris studentibus pararemus. Hæc est sane summa totalis, quare tot grammaticorum antiquata volumina, emendatis codicibus, renovare studuimus, ut stratas regias sterneremus, quibus ad artes quascunque nostri futuri scholares incederent inoffense.

1 *que* om. B.

2 *diasintasacam* C, *dyasenteticam* D.

3 *inter* D.



Capitulum Tertiumdecimum

Quare non omnino[1] negleximus fabulas poetarum

1 *omnino* om. B.

Omnia genera machinarum, quibus contra poetas solius nudæ[2] veritatis amatores objiciunt, duplici refelluntur umbone; quia vel in obscena materia gratus cultus sermonis addiscitur,[3] vel ubi ficta sed honesta tractatur sententia, naturalis vel historialis veritas indagatur sub eloquio typicæ fictionis.[4] ⁂ ⁂ ⁂ ⁂ ⁂

2 *nudæ* ex *unde* C.

3 *adjicitur* C.

4 *fixionis* B.

Quamvis nimirum omnes homines natura scire desiderent, non tamen omnes æqualiter delectantur addiscere; quinimo, studii labore gustato et sensuum fatigatione percepta, plerique nucem[5] abjiciunt inconsulte priusquam testa soluta nucleus attingatur. Innatus est homini duplex amor, videlicet propriæ libertatis in regimine et aliquantæ voluptatis in opere; unde[6] nullus sine causa alieno

5 *invicem* B.

6 *unus* D.

se subdit imperio vel opus quodcunque exercet cum tædio sua sponte. Delectatio namque perficit operationem sicut pulchritudo juventutem, sicut Aristoteles verissime dogmatizat decimo Ethicorum. Idcirco prudentia veterum adinvenit remedium quo lascivum humanum ingenium caperetur quodammodo pio dolo, dum sub voluptatis iconio delicata Minerva delitesceret in occulto. Muneribus parvulos[1] assolemus allicere, ut illa gratis velint addiscere, quibus eos vel invitos intendimus applicare. Non enim natura corrupta eo impetu, quo prona se pellit ad vitia, transmigrat ad virtutes. Hæc in brevi versiculo nobis declarat Horatius, ubi artem tradit poeticam, ita dicens:

Aut prodesse volunt aut delectare poetæ.

Hæc[2] idem in alio versu ejusdem libri patenter insinuat, ita scribens:

Omne tulit punctum qui miscuit utile dulci.

Quot Euclidis discipulos retrojecit Elefuga[3] quasi scopulus eminens et abruptus, qui nullo scalarum[4] suffragio scandi posset!

1 *parvos* D.

2 *hoc* CD.

3 *Elifuga* B.

4 *scalarum* C et cod. Magdalensis, *scolarium* AB D cum reliquis.

Durus, inquiunt, est hic sermo; quis[1] potest eum audire? Milius inconstantiæ, qui tandem[2] in asinum transformari volebat, philosophiæ studium nullatenus forsitan dimisisset, si eidem contecta[3] voluptatis velamine familiariter occurrisset; sed mox Cratonis cathedra stupefactus et quæstionibus infinitis quasi quodam fulmine subito repercussus, nullum prorsus videbat refugium nisi fugam.

Ac in excusationem adduximus poetarum; jam studentes intentione debita in eisdem ostendimus inculpandos. Ignorantia quidem solius unius vocabuli prægrandis sententiæ impedit intellectum, sicut proximo capitulo est assumptum.[4] Cum igitur[5] dicta sanctorum poetarum figmentis frequenter[6] alludant, eveniet, necesse est, ut nescito poemate introducto tota ipsius auctoris intentio penitus obstruatur; et certe, sicut dicit Cassiodorus libro suo De Institutione Divinarum Literarum, non sunt parva censenda[7] sine quibus magna constare non possunt. Restat igitur ut ignoratis poesibus ignoretur[8] Hieronymus, Au-

1 *sermo et quis* CD.
2 *tantum* B.
3 *contenta* B.
4 *est ostensum assumptum* B.
5 *ergo* CD.
6 *sæpe* A.
7 *sensenda* A.
8 *ignorentur* CD.

gustinus, Boethius, Lactantius, Sidonius et plerique alii, quorum litaniam[1] prolixum capitulum non teneret.

Venerabilis vero[2] Beda hujusmodi dubitationis articulum distinctione declaravit dilucida, sicut recitat compilator egregius Gratianus, plurium repetitor auctorum, qui sicut fuit avarus in compilationis materia, sic confusus reperitur in forma. Scribit tamen sic distinctione tricesima septima, Murbat acumen: Sæculares literas quidam legunt ad voluptatem, poetarum figmentis et verborum ornatu delectati; quidam vero ad eruditionem eas addiscunt, ut errores gentium legendo detestentur[3] et utilia quæ in eis invenerint ad usum sacræ eruditionis devoti invertant.[4] Males laudabiliter sæculares literas addiscunt. Hæc Beda.

Ac institutione salutifera moniti, sileant detrahentes studentibus in poetis ad tempus, nec ignorantes hujusmodi connescientes[5] desiderent, quia hoc est simile solatio miserorum. Statuat igitur sibi quisque piæ intentionis[6] affectum, et de

1 *letaniam* codd.

2 *vir* D.

3 *gentium errendo detestentur legendo* D.

4 *convertant* B, *invertant* ex *innectant* C.

5 *huiusmodi quæstiones* ed. 1599.

6 *devotionis* C.

quacunque materia, observatis virtutis circumstantiis, faciet[1] studium Deo gratum. Et si in poeta profecerit, quemadmodum magnus Maro[2] se fatetur in Ennio, non amisit.

1 *fiet* B.

2 *Marro* D.



Capitulum Quartumdecimum

Qui deberent[3] esse librorum potissimi dilectores

3 *debent* CD.

Ecolligenti prædicta palam est et perspicuum, qui deberent esse librorum præcipui dilectores. Qui namque sapientia magis egent ad sui status officium utiliter exsequendum, hi potissimi sacris vasis sapientiæ propensiorem proculdubio exhibere tenentur sollicitum grati cordis affectum. Est autem sapientis officium bene ordinare et alios et se ipsum secundum Phœbum philosophorum Aristotelem, proœmio Metaphysicæ, qui nec fallit nec fallitur in humanis. Quapropter principes et

prælati judices et doctores et quicumque reipublicæ directores, sicut præ aliis sapientia opus habent, ita præ aliis vasis sapientiæ zelum debent. Philosophiam nimirum conspexit Boethius in sinistra quidem[1] sceptrum et in dextra libros gestantem, per quod universis evidenter ostenditur nullum posse rempublicam debite regere sine libris. Au, inquit Boethius loquens Philosophiæ, hanc sententiam Platonis ore sanxisti, beatas fore respublicas, si eas vel studiosi sapientiæ regerent, vel earum rectores studere sapientiæ[2] contigisset. Rursus hoc nobis insinuat ipse gestus imaginis, quod quanto dextra sinistram præcellit, tanto contemplativa dignior est activa, simulque sapientis[3] interesse monstratur nunc studio veritatis nunc dispensationi temporalium indulgere vicissim.

Philippum legimus Diis regratiatum devote, quod Alexandro[4] concesserant temporibus Aristotelis esse natum, cujus instructionibus educatus regni paterni moderamine dignus esset. Dum Phaethon ignarus regiminis fit

1 *siquidem* B.

2 *regerent, vel earum rectores studere sapientiæ* om. C.

3 *sapientissime* B et ed. 1599.

4 *Alexandrum* B.

currus auriga paterni, nunc vicinitate nimia nunc remota distantia infeliciter administrat mortalibus æstum Phoebi, ac ne omnes periclitarentur subjecti propinquo[1] regimine juste meruit fulminari.[2] Referunt tam Græcorum quam Latinorum historiæ quod nobiles inter eos principes non fuerunt, qui literarum peritia caruerunt. Sacra lex Mosaica præscribens regi regulam per quam regat, librum legis divinæ sibi præcipit[3] habere descriptum, Deuteronomii septimodecimo, secundum exemplar a sacerdotibus exhibendum, in quo sibi legendum esset omnibus diebus vitæ suæ. Sane labilitatem humanæ memoriæ et instabilitatem virtuosæ[4] voluntatis in homine satis noverat Deus ipse, qui condidit, qui et fingit quotidie corda hominum sigillatim.[5] Quamobrem quasi omnium malorum antidotum voluit esse librum, cujus lectionem et usum tanquam saluberrimum spiritus[6] alimentum quotidianum jugiter esse jussit. Quo refocillatus intellectus, nec enervis nec dubius[7] trepidaret ullatenus in agendis. Istud eleganter Johannes Saresberiensis pertractat in

1 *pro iniquo* AC D.

2 *sublimari* AD, *fulminari* ex *sublimari* C, *fulminari* B cum quibusdam aliis.

3 *præcepit* D.

4 *virtuosa* A.

5 *singillatim* AB, *sigillatim* CD. Locus ex *qui finxit sigillatim corda eorum* (Ps. xxxii, 15) ductus.

6 *spiritus* om. C.

7 *dubiis* B.

suo Policraticon, libro quarto. Ceterum omne genus hominum qui tonsura vel nomine clericali præfulgent, contra quos libri quarto, quinto et sexto capitulo[1] querebantur, libris tenentur veneratione perpetua famulari.

[1] *capitulis* B.

Capitulum Quintumdecimum

Quot commoda confert amor librorum

Humanum transcendit ingenium, quantumcunque fuerit de fonte Pegaseo potatum, instantis capituli titulum explicare perfecte, si linguis angelorum et hominum quis loquatur, si in Mercurium transformaretur aut Mullium, si dulcescat Mitti Licivii eloquentia lactea, si Demosthenis suavitate peroret, aut Moysi balbutiem[2] allegabit, vel cum Feremia se puerum nescientem fatebitur adhuc loqui, vel imitabitur resonantem in montibus altis echo. Amorem namque librorum amorem sapientiæ

[2] *suavitate peroret, aut Moysi balbutiem* om. C.

constat esse, sicut secundo capitulo est probatum. Hic autem amor philosophia Græco vocabulo nuncupatur,[1] cujus virtutem nulla creata intelligentia comprehendit, quoniam vere creditur omnium bonorum mater esse; Sapientiæ septimo. Æstus quippe carnalium vitiorum quasi coelicus ros exstinguit, dum motus intensus[2] virtutum animalium vires naturalium virtutum remittit, otio penitus effugato, quo sublato periere Cupidinis arcus omnes.[3]

Hinc Plato in Phædone: In hoc, inquit, manifestus est philosophus, si absolvit animam a corporis communione differentius aliis hominibus. Ama, inquit Hieronymus, scientiam scripturarum et carnis vitia non amabis. Demonstravit hoc Xenocrates[4] deiformis in constantia rationis, quem nobile scortum[5] Phryne[6] nomine statuam definivit non hominem, cum nullis eum valeret illecebris evirare,[7] quemadmodum Valerius libro quarto, capitulo tertio, plene refert. Hoc ipsum noster Origenes ostendit qui, ne eum ab omnipotenti[8] femina effeminari

1 *appellatur* D.

2 *incensus* D.

3 *artus omnes* A B, *arcus omnis* in *artes omnes* C, *arcus omnes* D cum paucis reliquorum.

4 *exenocrates* A.

5 *stoycum* ed. 1473.

6 *Phirne* codd.

7 *evirare* A, *evitare* (?) B, *enervari* CD.

8 *omni petenti* A.

contingeret, utriusque sexus medium per abnegationem extremorum elegit; animosum quippe remedium nec naturæ tamen consentaneum nec virtuti, cujus est hominem non insensibilem facere passionum, sed subortas a fomite rationis enecare mucrone.

Rursus mundanas pecunias parvipendunt, quotquot amor affecit[1] librorum, dicente Hieronymo contra Vigilantium, epistola quinquagesimo quarto: Non est ejusdem hominis aureos nummos et scripturas probare. Unde a quodam metrice sic est dictum:[2]

1 *amor per affecit* B.

2 *est dictum* om. A, *sic est dictum* om. C.

Nulla libris erit apta manus ferrugine tincta;
Nec nummata queunt corda vacare libris.
Non est eisdem nummos librosque probare.
Persequitur libros grex, Epicure, tuus.

Nummipetæ cum libricolis nequeunt simul esse:
Ambos, crede mihi, non tenet una domus.

Nullus ergo potest libris et Mammoni deservire.

Vitiorum deformitas in[3] libris maxime reprobatur, ut[4] inducatur omnimode vitia detestari, qui libros dilexerit perscrutari. Dæmon,

3 *in* om. C.

4 *et* D.

qui a scientia nomen habet, per librorum scientiam potissime triumphatur. Cujus fraudes multipliciter flexuosæ milleque perniciosi meandri per libros panduntur legentibus, ne se transfigurans in angelum lucis dolis circumveniat innocentes.

Divina nobis per libros reverentia revelatur, virtutes quibus colitur propalantur expressius, atque merces describitur, quam quæ nec fallit nec fallitur veritas pollicetur. Imago simillima futuræ beatitudinis est sacrarum contemplatio literarum,[1] in quibus nunc creator nunc creatura conspicitur, ac de torrente[2] perpetuæ jucunditatis hauritur. Fides fundatur potentia literarum; spes librorum solatio confirmatur, ut per patientiam et consolationem scripturarum spem habeamus. Charitas non inflatur sed ædificatur[3] per veram notitiam literarum, imo super libros sacros constat luce clarius ecclesiam stabilitam.

Delectant libri prosperitate feliciter arridente; consolantur individue nubila[4] fortuna terrente; pactis humanis robur attribuunt, nec ferunt sententiæ graves sine libris.

1 *contemplatio scripturarum literarum* A.
2 *torrente* om. C.
3 *edificat* B.
4 *nubula* A, *nubilia* D.

Artes et scientiæ in libris consistunt, quarum emolumenta nulla mens sufficeret enarrare. Quanti pendenda est mira librorum potentia, dum per eos fines tam orbis quam temporis cernimus, et ea quæ non sunt, sicut ea quæ sunt, quasi in quodam æternitatis speculo contemplamur! Montes scandimus; abyssorum voragines perscrutamur; species piscium, quos communis aer nequaquam salubriter[1] continet,[2] intuemur codicibus. Fluviorum et fontium diversarum terrarum proprietates distinguimus; metallorum atque gemmarum genera et mineræ[3] cujusque materias de libris effodimus. Herbarumque vires arborum et plantarum addiscimus prolemque totam pro libitu[4] cernimus Neptuni, Cereris et Plutonis. Quod si nos cœlicolas visitare delectat, suppeditantes Maurum, Caucasum et Olympum, Junonis[5] regna transcendimus ac septena territoria planetarum funiculis et circulis emetimur. Ipsum tandem firmamentum supremum,[6] signis, gradibus et imaginibus varietate maxima decoratum, lustramus. Ubi[7] polum antarcticum, quem nec oculus

1 *similiter* B.
2 *communis aer nequaquam salubriter continet* om. C.
3 *munera* A, *mineriæ* CD.
4 *libito* B.
5 *Jovis* ex *Junonis* A.
6 *Ipsum tandem firmamentum supremum* om. D.
7 *Lustramus ibi* B.

vidit nec auris audivit, inspicimus; luminosum iter galaxiæ et animalibus[1] cœlestibus picturatum zodiacum delectabili jucunditate miramur. Hinc per libros ad separatas transimus substantias ut[2] cognatas intelligentias intellectus salutet primamque causam omnium ac motorem immobilem infinitæ virtutis oculo mentis cernat et amore inhæreat sine fine. Ecce per libros adjuti[3] beatitudinis nostræ mercedem attingimus, dum adhuc[4] existimus viatores. Quid[5] plura! proculdubio, sicut Seneca docente didicimus,[6] otium sine literis mors est et hominis vivi sepultura.[7] Ita revera a sensu contrario, literarum seu librorum negotium concludimus hominis esse vitam. Rursus per libros tam amicis quam hostibus intimamus, quæ nequaquam secure nuntiis commendamus, quoniam libro plerumque ad principum thalamos ingressus conceditur, quo repelleretur penitus vox auctoris, sicut Tertullianus in principio Apologetici sui dicit. Carceribus et vinculis custoditi, ademptaque penitus corporis libertate, librorum legationibus[8] utimur ad amicos, eisque causas nos-

1 *animabus* A.

2 *et* AB.

3 *adjuti* B, *adniti* CD, deest in A quia

4 omnia post *cernat* usque *adhuc* desunt in A.

5 *Quis* B.

6 *addiscimus* C D.

7 *sepulcra* C.

8 Omnia post *custoditi* usque *-onibus utimur* desunt in A, qui *custoditionibus utimur* consarcinato evitat lacunam.

tras expediendas committimus atque illuc transmittimus, quo nobis fieret causa mortis accessus. Per libros præteritorum reminiscimur, de futuris quodammodo prophetamus, præsentia, quæ labuntur et fluunt, scripturæ memoria stabilimus.

Felix studiositas et studiosa felicitas præpotentis[1] eunuchi, de quo Actuum octavo narratur,[2] quem amor propheticæ lectionis succenderat tam ardenter, quod nec ratione itineris a legendo cessaret, reginæ Candacis regiam populosam oblivioni[3] tradiderat, gazas quibus præerat a cura cordis semoverat, et tam iter quam currum quo ferebatur neglexerat. Solus amor libri totum sibi vendicarat domicilium castitatis, quo disponente mox fidei januam meruit introire. O gloriosus[4] amor librorum, qui Gehennæ filium et alumnum Tartari per gratiam baptismalem filium fecit regni!

Cesset jam stylus impotens infiniti negotii consummare tenorem, ne videatur aggredi temere, quod in principio fatebatur impossibile cuiquam esse.

1 *præponentis* B.

2 *de quo Actuum octavo narratur* om. C.

3 *oblivioni* om. A.

4 *gratiosus* B, *generosus* (?) C D.

Capitulum Sextumdecimum

Quam sit meritorium libros novos scribere et veteres renovare

Sicut necessarium est reipublicæ pugnaturis militibus arma providere Vulcania[1] et congestas victualium copias præparare, sic ecclesiæ militanti contra paganorum et hæreticorum insultus, operæ pretium constat esse sanorum[2] librorum multitudine communiri. Verum quia[3] omne[4] quod servit mortalibus per prolapsum temporis mortalitatis dispendium patitur, necesse est vetustate tabefacta volumina innovatis successoribus instaurari, ut perpetuitas, quæ naturæ repugnat individui, concedatur privilegio speciei. Hinc est quod signanter dicitur Ecclesiastæ[5] duodecimo: Faciendi plures libros nullus est finis. Sicut enim librorum corpora, ex contrariorum commixtione compacta, suæ

1 *Vulcana* BD.

2 *seniorum* A.

3 *Verumque* BD.
4 *omne* om. C.

5 *Ecclesiastes* codd.

compositionis continuum sentiunt detrimentum, sic per prudentiam clericorum reperiri debet remedium, per quod liber sacer solvens naturæ debitum, hæreditarium obtineat substitutum, et simile semen fratri mortuo suscitetur, verificeturque statim illud Ecclesiastici tricesimo: Mortuus est pater illius, et quasi non est mortuus, similem enim sibi[1] reliquit post se. Sunt igitur transcriptiones[2] veterum, quasi quidam propagationes recentium filiorum, ad quos paternum devolvatur officium, ne librorum municipium minuatur. Sane[3] hujusmodi transcriptores antiquarii nominantur, quorum studia inter ea quæ complentur labore corporeo plus sibi[4] placere Cassiodorus confitetur, De Institutione Divinarum Literarum capitulo tricesimo, ita subdens: Felix, inquit, intentio, laudanda sedulitas, manu hominibus prædicare, linguas digitis aperire, salutem mortalibus tacitam[5] dare, et contra diaboli surreptiones illicitas calamo atramentoque pugnare. Hæc ille. Porro scriptoris officium Salvator exercuit, dum inclinans se deorsum, digito scribebat in terra,

1 *sibi* om. B.

2 *transcriptores* C.

3 *Scientiæ* D.

4 *igitur* A.

5 *tacitum* AB, *tacitum* cum nota correctoris C, *tacit* acuna sequente D, *tactu* ed. 1599.

Johannis octavo, ut nullus quantumcunque nobilis indignetur hoc facere, quod sapientiam Dei patris intuetur fecisse.[1]

1 *intuetur hoc fecisse* D.

O scripturæ serenitas singularis, ad cujus fabricam inclinatur Artifex orbis terræ, in cujus tremendo nomine flectitur omne genu! O venerandum artificium singulare præ cunctis praxibus quæ hominis manu fiunt, cui pectus Dominicum incurvatur humiliter, cui Dei digitus applicatur calami vice functus! Sevisse Dei filium vel arasse, texuisse vel fodisse non legimus: nec quicquam aliud de[2] mechanicis divinam decebat[3] sapientiam humanatam nisi scribendo literas exarare, ut discat quilibet generosus aut sciolus, quod hominibus digiti tribuuntur divinitus ad scribendi negotium potius quam ad bellum. Unde librorum sententiam plurimum approbamus, qua clericum inertem scripturæ censuerunt quodammodo fore mancum, capitulo sexto supra. Scribit justos in libro viventium Deus ipse; lapideas tabulas, digito Dei scriptas, Moyses accepit. Scribat librum ipse qui

2 *ad* D.

3 *dicebat* A.

judicat, Job proclamat; digitos scribentis[1] in pariete, Mane, Thecel, Phares, Nabuchodonosor tremens vidit; Danielis quinto. Ego, inquit Jeremias, scribebam in volumine atramento; Jeremiæ tricesimo sexto. Quod vides[2] scribe in libro, Christus Johanni præcipit caro suo; Apocalypsis primo. Sic Esaiæ, sic Josuæ officium scriptoris[3] injungitur, ut tam actus quam peritia futuris in posterum commendetur. En vestimento et in femore scriptum habet Rex regum et Dominus dominantium Christus ipse, ut sine scriptura nequeat apparere perfectum Omnipotentis regium ornamentum. Defuncti docere non desinunt, qui sacræ scientiæ[4] libros scribunt. Plus Paulus scribendo sacras epistolas ecclesiæ profuit fabricandæ, quam gentibus et Judæis evangelizando sermone. Nempe per libros quotidie continuat comprehensor, quod olim in terra positus inchoavit viator; sicque verificatur, de doctoribus libros scribentibus, sermo propheticus Danielis duodecimo: Qui ad justitiam erudiunt multos, erunt quasi stellæ in perpetuas æternitates.

1 *scribentes* B.

2 *videns* D.

3 *scriptorum* D.

4 *sapientiæ* CD.

Porro polychronitudinem[1] antiquorum, priusquam Deus originalem mundum cataclysmo diluveret,[2] adscribendam miraculo non naturæ catholici decrevere doctores, ut Deus ipse tantum eis vitæ concederet, quantum reperiendis et in libris scribendis scientiis conveniret: inter quas astronomiæ miranda diversitas, ut experimentaliter visui subderetur,[3] sexcentorum annorum periodum secundum Josephum requirebat. Verumtamen non abnuunt quin terræ nascentia[4] illius temporis primitivi utilius alimentum præstarent mortalibus, quam moderni, quo dabatur non solum hilarior corporis euexia[5] sed et diuturnior florens ætas; ad quam non modicum contulit quod virtuti vivebant, omnimode resecato superfluo voluptatis. Igitur quisquis Dei munere scientia est dotatus juxta consilium Spiritus Sancti, Ecclesiastici tricesimo octo: Sapientiam scribe in tempore vacuitatis, ut et præmium cum beatis et spatium in præsenti augeatur ætatis.

Cæterum si ad mundi principes divertamus sermonem, imperatores egregios invenimus

1 *policrotudinem* AD, *pulcritudinem* B, *ppolicrotudinem* C cum nota correctoris super priorem *p* et ultimam *o*.
2 *deluveret* AC.
3 *videretur* C.
4 *terrenascentia* AC et B (?), *terrena scientia* D.
5 *euethia* A et cod. Dunelm., *nenethia* priore *n* obfusca B, *enchia* C, *enechia* D cum multis, *endelechia* in quibusdam codd. recentissimis in Germania scriptis.

non solum artis scribendi peritia floruisse, sed et ipsius operi plurimum indulsisse. Julius Cæsar, primus omnium et tempore et virtute, Commentarios reliquit tam belli Gallici quam Civilis a semetipso conscriptos.[1] Item De Analogia duos libros, et Anticatones totidem, et poema quod inscribitur Iter et opuscula alia multa fecit. Nam Julius quam Augustus cautelas scribendi literam pro litera adinvenit ut quæ scriberent occultarent. Nam Julius quartam literam posuit loco primæ, et sic deinceps alphabetum expendit:[2] Augustus vero secundam pro prima, et pro secunda tertiam, et ita deinceps usus fuit. Hic in Mutinensi bello, in maxima mole rerum, quotidie et legisse et scripsisse traditur, ac etiam declamasse. Tiberius lyricum carmen scripsit et poemata quædam Græca. Claudius similiter, tam Græci quam Latini sermonis peritus, varios libros fecit. Sed præ his et aliis Titus in scribendi peritia floruit, qui cujuscunque volebat literam imitabatur facillime, unde se profitebatur falsarium maximum, si libu-

1 *descriptos* D.

2 *alphabetum exphabetum expendit* A.

isset, fieri potuisse. Hæc omnia Suetonius, De Vita Duodecim Cæsarum, annotavit.

Capitulum Septimumdecimum

De debita honestate circa librorum custodia[1] adhibenda

1 *circa libros custodiam* D et om. *adhibenda.*

Non solum Deo præstamus obsequium novorum librorum præparando volumina, sed sacratæ pietatis exercemus officium si eosdem nunc illæse tractemus, nunc locis idoneis redditos illibatæ custodiæ commendemus; ut gaudeant puritate dum habentur in manibus, et quiescant secure dum in suis cubilibus reconduntur. Nimirum post vestes et vascula corpori dedicata Dominico, sacri libri merentur honestius a clericis contrectari, quibus totiens irrogatur[2] injuria quotiens eos præsumit attingere manus fœda. Quamobrem exhortari

2 *irrigatur* D.

studentes super negligentiis variis reputamus expediens, quæ vitari faciliter[1] semper possent, et mirabiliter libris nocent. In primis quidem circa claudenda et aperienda volumina sit matura modestia, ut nec præcipiti festinatione solvantur nec, inspectione finita, sine clausura debita dimittantur. Longe namque diligentius librum quam calceum convenit conservari.

Est enim gens scholarium perperam educata communiter, et nisi majorum regulis refrænetur infinitis infantiis insolescit.[2] Aluntur petulantia, præsumptione tumescunt; de singulis judicant tanquam certi, cum sint in omnibus inexperti.

Videbis fortassis juvenem cervicosum, studio segniter residentem, et dum hiberno tempore hiems alget, nasus irriguus frigore comprimente distillat, nec prius se dignatur emunctorio tergere quam subjectum librum madefecerit turpi rore. Cui utinam[3] loco codicis, corium subderetur sutoris! Unguem habet fimo fœtenti refertum, gagati simillimum, quo placentis materiæ signat[4] locum.

1 *falliciter* D.

2 *insolescat* C.

3 *vicinam* D.

4 *figurat* D.

Paleas dispertitur innumeras, quas diversis in locis collocat evidenter ut festuca reducat quod memoria non retentat. Hæ paleæ, quia nec venter libri digerit, nec quisquam eas extrahit, primo quidem librum a solita junctura distendunt, et tandem negligenter oblivioni commissæ putrescunt. Fructus et caseum super librum expansum non veretur comedere, atque scyphum hinc inde dissolute[1] transferre; et quia non habet eleemosynarium præparatum, in libris dimittit reliquias fragmentorum. Garrulitate continua, sociis oblatrare non desinit, et dum multitudinem rationum adducit a sensu physico vacuarum, librum in gremio subexpansum, humectat aspergine salivarum. Quid plura? statim duplicatis cubitis, reclinatur in codicem, et per breve studium, soporem invitat prolixum; ac repandis rugis limbos replicat foliorum, ad libri non modicum detrimentum.

[1] sollicite A.

Jam imber abiit et recessit, et flores apparuerunt in terra nostra. Nunc scholaris, quem describimus, librorum neglector potius quam inspector, viola primula atque rosa necnon et

quadrifolio farciet librum suum. Nunc manus aquosas et scatentes sudore volvendis voluminibus applicabit. Nunc pulverulentis undique chirothecis, in candidam membranam impinget, et indice veteri pelle vestito, venabitur paginam lineatim. Nunc ad pulicis mordentis aculeum sacer liber abjicitur;[1] qui tamen vix clauditur infra mensem, sed sic pulveribus introjectis tumescit, quod[2] claudentis instantiæ non obedit.

Sunt autem specialiter coercendi a contrectatione librorum juvenes impudentes, qui cum literarum figuras effigiare didicerint, mox pulcherrimorum voluminum, si copia concedatur, incipiunt fieri glossatores incongrui, et ubi largiorem marginem circa textum perspexerint, monstruosis apparitant alphabetis; vel aliud frivolum qualecunque quod[3] imaginationi occurrit celerius, incastigatus calamus protinus exarare præsumit. Ubi Latinista, ibi sophista, ibi quilibet scriba indoctus aptitudinem pennæ probat, quod formosissimis codicibus, quoad usum et pretium, creberrime[4] vidimus obtuisse.[5]

1 *objicitur* CD.
2 *quia* C.
3 *quod* om. D.
4 *creberriem* B.
5 *offuisse* A.

Sunt iterum fures quidam libros enormiter detruncantes, qui pro epistolarum chartulis schedulas laterales abscindunt, litera sola salva; vel finalia folia, quæ ad libri custodiam dimittuntur, ad varios abusus assumunt. Quod genus sacrilegii, sub interminatione anathematis, prohiberi deberet. ✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠

Convenit autem prorsus scholarium honestati ut, quoties ad studium a refectione reditur, præcedat omnino lotio lectionem, nec digitus sagimine[1] delibutus aut folia prius volvat aut signacula libri solvat. Puerulus lacrymosus capitalium literarum non admiretur imagines, ne manu fluida polluat pergamenum; tangit enim illico quidquid videt. ✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠

Porro laici, qui librum æque respiciunt resupine transversum, sicut[2] serie naturali expansum, omnium librorum communione penitus sunt indigni. Hoc etiam clericus disponat, ut olens ab ollis lixa cinereus librorum lilia[3] non contingat illotus, sed qui ingreditur[4] sine macula pretiosis codicibus ministrabit. Conferret[5] autem

1 *sanguine* B, *sanginine* (?) D.

2 *sic* D.

3 *lilia* ABD cum omnibus codd. fide dignis præter C in quo tamen legitur *lylia*. Quinque codd. recentissimi in Germania scripti *folia* habent.

4 *ingredietur* D.

5 *Confert* B.

plurimum tam libris quam scholaribus manuum honestarum munditia, si non essent scabies et pustulæ characteres clericales. Librorum defectibus, quotiens advertuntur, est ocius occurrendum; quoniam nihil grandescit citius quam scissura,[1] et fractura, quæ ad tempus negligitur, reparabitur postea cum usura.

De librorum armariis mundissime fabricandis, ubi ab omni læsione salventur securi, Moyses mitissimus nos informat Deuteronomii tricesimo primo. Tollite, inquit, librum istum et ponite illum in latere arcæ fœderis Domini Dei vestri. O locus idoneus et bibliotheca[2] conveniens, quæ de lignis[3] Setim imputribilibus facta fuit, auroque per totum interius et exterius circumtecta! Sed omnem inhonestatis negligentiam circa libros tractandos suo Salvator exclusit exemplo, sicut legitur Lucæ quarto. Cum enim scripturam propheticam de se scriptam in libro tradito[4] perlegisset, non prius librum[5] ministro restituit quam eundem suis sacratissimis manibus plicuisset. Quo facto studentes

1 *scissura* A, *cissura* BCD.
2 *bibliothecæ* B.
3 *lingnis* A.
4 *traditam* B.
5 *libro* A.

docentur clarissime, circa librorum custodiam, quantumcunque minima negligi non debere. ✠✠✠✠

Capitulum Octavumdecimum

Quod tantam liberorum collegimus copiam ad communem profectum scholarium et non solum ad propriam voluptatem[1]

1 *voluntatem* D.

Nihil iniquius in humanis perpenditur, quam quod ea quæ geruntur justissime maligno-rum obloquiis[2] perveruntur,[3] et inde quis reportat[4] infamiam criminis, unde magis meruit spem honoris. Oculo simplici perpetrantur quam plurima, nec sinistra dextræ se commisceet, nullo fermento massa corrumpitur, neque vestis ex lino lanaque contexitur; perversorum tamen præstigiis, opus pium mendaciter transformatur in monstrum. Hæc est[5] nimirum peccatricis naturæ reprobanda conditio, quod non solum in factis moraliter dubiis pro pejori parte sententiat; imo frequenter illa, quæ

2 *eloquiis* C.
3 *pervertantur* B.
4 *reportet* B.
5 *etiam* BD.

speciem boni habent, nequitiosa subversione depravat. Quambis enim[1] amor librorum in clerico ex objecti natura præferat honestatem, miro tamen modo obnoxios nos effecit judiciis plurimorum; quorum admirationibus obtrectati, nunc de curiositate superflua, nunc de cupiditate in illa duntaxat materia, nunc de vanitatis apparentia, nunc de voluptatis intemperantia circa literas notabamur; quorum revera vituperiis non plus quam caniculorum latratibus movebamur, illius solius testimonio contentati, ad quem renes et corda pertinet perscrutari. Cum enim voluntatis secretæ finalis intentio homines lateat unicoque Deo pateat, cordium inspectori, perniciosæ[2] temeritatis merentur redargui, qui humanis actibus, quorum fontale non vident principium, epigramma tam faciliter superscribunt sinistrum. Finis enim se habet in operabilibus,[3] sicut principia in speculativis, vel suppositiones[4] in mathematicis, teste philosophorum principe septimo Ethicorum. Quapropter sicut ex principiorum evidentia conclusionis veritas declaratur; ita plerumque in agibilibus, ex

1 *enim* post *librorum* D.

2 *pernicosæ* A.

3 *operationibus* B.

4 *supponens* A.

honesti finis intentione, bonitas moralis in opere sigillatur; ubi alias opus ipsum judicari deberet indifferens, quoad mores. ✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠

Nos autem ab olim in præcordiis mentis nostræ propositum gessimus[1] radicatum, quatenus opportunis temporibus exspectatis divinitus, aulam quamdam, in reverenda universitate Oroniensi omnium liberalium artium nutrice præcipua, in perpetuam eleemosynam fundaremus necessariisque redditibus dotaremus,[2] quam numerosis scholaribus occupatam nostrorum librorum jocalibus ditaremus, ut ipsi libri et singuli eorundem communes fierent, quantum ad usum et studium, non solum scholaribus aulæ tactæ sed per eos omnibus universitatis prædictæ studentibus in æternum, secundum formam et modum quem sequens capitulum declarabit. Quapropter sincerus amor studii zelusque orthodoxæ fidei ad ædificationem ecclesiæ confirmandæ pepererunt in nobis sollicitudinem hanc stupendam nummicolis, ut collectos codices undecunque venales, neglectis sumptibus, emeremus et qui venundari non debebant,[3] transcribi honestius faceremus. ♧♧♧♧♧♧♧♧♧♧♧

1 *gressimus* D.

2 omnia post *dotaremus* usque *ut ipsi* om. C.

3 *deberent* D.

Cum enim delectationes hominum ex dispositione cœlestium corporum, cui mixtorum complexio frequenter[1] obedit, diversimode distinguantur; ut hi in architectura, illi in agricultura, hi in venationibus, illi in navigationibus, hi in bellis, illi in ludis eligant conversari; cecidit circa libros nostræ Mercurialis species voluptatis honestæ, quam ex rectæ rationis arbitrio, cujus[2] nulla sidera dominantur imperio, in honorem ordinavimus majestatis supremæ, ut unde mens nostra tranquillitatem reperit requiei, inde devotissimus crescceret cultus Dei. Quamobrem desinant obtrectantes, sicut cæci de coloribus judicare, vespertiliones[3] de luminibus disceptare[4] non audeant, atque trabes gestantes in oculis propriis, alienas festucas eruere non præsumant. Cessent commentis satyricis suggillare quæ nesciunt, et occulta discutere, quæ humanis experientiis non patescunt. Qui nos fortassis affectu commendassent benivolo, si ferarum venatui, alearumque lusui, dominarum applausui vacassemus.

1 *ut frequenter* AD.

2 *quam ex rectæ rationis arbitrio, cujus* om. C.

3 *vespertiliones* om. B.

4 *deceptare* B.

Capitulum Nonumdecimum

De modo communicandi studentibus omnibus[1] nostros libros

Difficile semper fuit sic homines limitare legibus honestatis, quin astutia successorum terminos niteretur præcedentium transilire et statutas infringere regulas insolentia libertatis: quamobrem de prudentium[2] consilio, certum modum præfiximus, per quem, ad utilitatem studentium, librorum nostrorum communicationem et usum volumus devenire. In primis enim libros omnes et singulos, de quibus catalogum fecimus[3] specialem, concedimus et donamus,[4] intuitu charitatis, comitati scholarium in aula B. Oroniensi degentium, in perpetuam eleemosynam, pro anima nostra et parentum nostrorum, necnon pro animabus illustrissimi regis Angliæ Edwardi Tertii post conquestum, ac[5]

1 *omnes* B.

2 *prudentum* codd.

3 *facimus* C.

4 *donamus* om. B.

5 *et* CD.

devotissimæ dominæ reginæ Philippæ consortis ejusdem; ut[1] iidem libri omnibus et singulis universitatis dictæ villæ scholaribus et magistris, tam regularibus quam sæcularibus commodentur pro tempore, ad profectum et usum studendi, juxta modum quem immediate subjungimus, qui est talis.

1 *et* D.

Quinque de scholaribus in aula præfata commorantibus assignentur per ejusdem aulæ[2] magistrum, quibus omnium librorum custodia deputetur, de quibus quinque personis tres, et nullatenus pauciores, librum vel libros ad inspectionem et usum duntaxat studii valeant commodare: ad copiandum vero vel transcribendum, nullum librum volumus extra septa domus concedi. Igitur cum scholaris quicunque sæcularis vel religiosus, quos in præsenti favore ad paria judicamus, librum aliquem commodandum petiverit, considerent diligenter custodes an librum talem habuerint duplicatum, et si sic, commodent ei librum cautione recepta, quæ librum traditum in valore transcendat judicio eorundem, fiatque statim tam de cautione quam de[3] libro commodato memo-

2 *aulæ prædictæ* pro *ejusdem aulæ* C.

3 *de* om. AB.

rialis scriptura continens nomina personarum, quæ librum tradunt, et illius, qui recipit, cum die et anno Domini, quo continget[1] fieri commodatum. Si vero custodes invenerint quod ille liber qui petitur duplicatus non fuerit, talem librum nullatenus[2] commodent cuicunque nisi fuerit de comitiva scholarium dictæ aulæ, nisi forte ad inspectionem[3] infra septa domus vel aulæ prædictæ, sed non ad ulterius deferendum.[4] Scholari vero cuilibet dictæ aulæ liber quicunque per tres de prædictis custodibus valeat commodari, nomine tamen suo, cum die quo librum recipit primitus annotato. Nec tamen ipse possit librum sibi traditum alteri commodare, nisi de assensu trium de custodibus supradictis, et tunc deleto nomine primi, nomen secundi, cum tempore traditionis scribatur.

Ad hæc omnia observandum, custodes singuli fidem præstent quando eis[5] custodia hujusmodi deputatur. Recipientes autem librum vel libros, ibidem jurabunt, quod eum vel eos ad alium usum, nisi ad[6] inspectionem et studium, nullatenus applicabunt, quodque illum vel illos extra villam

1 *contingit* CD.

2 *nullatenus* ante *talem librum* B.

3 *ad inspectionem ad* B et cod. Magdalensis et ed. 1599.

4 Reliquum hujus capituli in cod. Magdalensi deest. In loco ejusdem hæc sententia sequitur ab aliquo pro textu evidenter reposita: *Hic multas conditiones circa librorum custodiam prætermitto eo quod mihi pro præsenti videatur inutile talia recitare.*

5 *eis* om. A.

6 *ad* om. A.

Oxoniensem cum suburbio nec deferent nec deferri permittent.

Singulis autem annis, computum reddent prædicti custodes magistro domus et duobus, quos secum duxerit de suis scholaribus assumendos, vel si eidem non vacaverit, tres deputet inspectores alios a custodibus, qui librorum catalogum perlegentes videant quod omnes habeant vel in voluminibus propriis vel saltem per cautiones præsentes. Ad hunc autem computum persolvendum, tempus credimus opportunius a kalendis Junii[1] usque ad festum sequens translationis gloriosi martyris sancti Thomæ.

Hoc autem omnino adjicimus,[2] quod quilibet, cui liber aliquis fuerit commodatus, semel in anno librum præsentet custodibus et suam, si voluerit, videat cautionem. Porro si contingat fortuito per mortem, furtum, fraudem vel incuriam librum perdi, ille qui perdiderit,[3] vel ejusdem procurator, seu etiam executor, pretium libri solvat et ejusdem recipiat cautionem. Quod si qualitercunque custodibus ipsis lucrum evenerit, in nihil

1 *Julii* B cum *Junii* in margine, *mense Julii* D.

2 *addicimus* A.

3 *perdidit* A.

aliud quam in librorum reparationem et subsidium convertatur.

Capitulum Vicesimum

Exhortatio scholarium ad rependendum pro nobis suffragia debitæ pietatis

Tempus jam efflagitat terminare tractatum, quem de librorum amore compegimus; in quo contemporaneorum nostrorum admirationibus, de eo quod tantum libros dileximus, rationem reddere nisi sumus. Verum quia[1] vix datur aliquid operari mortalibus quod nullius respergatur pulvere vanitatis, studiosum[2] amorem, quem ita diuturnum ad libros habuimus, justificare penitus non audemus, quin fuerit forsan nobis quandoque occasio alicujus negligentiæ venialis, quamvis amoris materia sit honesta et intentio regulata. Si namque cum

1 *Verumque* D.

2 *studio sive* D.

omnia fecerimus, servos nos inutiles dicere teneamur; si Job sanctissimus sua opera omnia verebatur; si juxta Esaiam, quasi pannus menstruatæ omnes justitiæ nostræ; quis se de perfectione cujuscunque virtutis præsumet jactare, quin ex aliqua circumstantia valeat reprehendi, quæ forsitan a seipso[1] non poterit[2] deprehendi? Bonum enim ex integris causis, malum autem omnifarie, sicut Dionysius De Divinis Nominibus nos informat.

Quamobrem in nostrarum iniquitatum remedium, quibus nos omnium Creatorem crebrius offendisse cognoscimus, orationum suffragia petituri,[3] studentes nostros futuros dignum duximus exhortari, quatenus sic tam nobis quam aliis eorundem futuris benefactoribus fiant grati, quod beneficiorum nostrorum providentiam spiritalibus retributionibus recompensent. Vivamus in eorum memoriis funerati, qui in nostris vixerunt benevolentiis nondum nati nostrisque nunc vivunt beneficiis sustentati. Clementiam Redemptoris implorent instantiis indefessis, quatenus

1 *semetipso* B.
2 *poterat* B.
3 *penituri* C.

negligentiis nostris parcat, peccatorum nostrorum
reatibus pius Judex indulgeat,[1] lapsus nostræ
fragilitatis pallio pietatis operiat, et offensas
quas et pudet et poenitet commisisse divina beni-
nitate remittat. Conservet in nobis, ad sufficiens
spatium poenitendi, suarum munera gratiarum,
fidei firmitatem, spei sublimitatem, et ad omnes
homines latissimam charitatem. Flectat super-
bum arbitrium ad culparum suarum lamentum, ut
deploret[2] transactas elationes vanissimas et retractet
indignationes amarissimas ac delectationes insanis-
simas detestetur. Vigeat sua virtus in nobis,
cum nostra defecerit,[3] et qui nostrum ingressum
sacro baptismate[4] consecravit gratuito, nostrum
progressum ad statum apostolicum sublimavit
immerito, nostrum dignetur egressum sacramentis
idoneis communire. Laceretur a nostro spiritu
amor carnis, evanescat penitus metus mortis,
desideret dissolvi et esse cum Christo, et
in terris solo corpore constituti, cogitatione et
aviditate in æterna patria conversemur.[5] Pater
misericordiarum et Deus totius consolationis

1 *pius Judex indulgeat* om. C.
2 *deplores* B.
3 *defecit* CD.
4 *baptismatis* B.
5 *conservemur* A.

filio prodigo de siliquis revertenti benignus occurrat, drachmam denuo repertam recipiat et in thesauros æternos per angelos sanctos transmittat. Castiget vultu terrifico, exitus nostri hora, spiritus tenebrarum, ne latens in limine portæ mortis Leviathan, serpens vetus, insidias improvisas calcaneo nostro paret. Cum vero ad terrendum[1] tribunal fuerimus advocati, ut cuncta quæ corpore[2] gessimus attestante conscientia referamus, consideret humanitas juncta Deo effusi sui sancti sanguinis pretium, et advertat[3] divinitas humanata carnalis naturæ figmentum, ut ibi transeat fragilitas impunita ubi clemens pietas cernitur infinita, et ibi respiret spiritus miseri ubi exstat proprium judicis misereri. Amplius refugium spei[4] nostræ post Deum, Virginem et reginam theotocon benedictam, nostri semper studentes salutationibus satagant frequentare devotis, ut qui per nostra facinora replicata meruimus judicem invenire turbatum, per[5] ipsius suffragia semper grata mereamur eundem reperire[6] placatum. Deprimat pia manus brachium æquilibre, qua nostra tam parva quam

1 *tremendum* C D.

2 *corpore* om. A.

3 *advertas* D.

4 *speciei* B.

5 *quia* A.

6 *reperire* om. A.

pauca merita pensabuntur, ne, quod absit, præponderet gravitas criminum et nos[1] damnandos dejiciat in abyssum.

Clarissimum meritis confessorem Cuthbertum, cujus gregem indigni pascendum suscepimus, omni cultu studeant venerari devote, rogantes assidue[2] ut suum licet indignum vicarium precibus excusare dignetur et quem successorem admisit in terris, procuret effici consessorem[3] in cœlis. Puris denique tam mentis quam corporis precibus rogent Deum, ut spiritum ad imaginem Trinitatis creatum, post præsentis miseriæ incolatum, ad suum reducat primordiale prototypum, ac ejusdem concedat perpetuum fruibilis faciei conspectum. Amen.[4]

1 *nos* om. A.

2 *assidue* om. D.

3 *consessorem* B; *confessorem* AC D cum reliquis.

4 *conspectum per dominum nostrum Jesum Christum. Amen.* ed. 1473 et illi quinque codd. recentissimi in Germania scripti. *conspectum Amen. Valete et scientiam litterarum colite* ed. 1483.

Explicit[1] Philobiblon
domini Ricardi de Aungervile cognominati de Bury
quondam Episcopi Dunelmensis. Completus
est autem tractatus iste in manerio nostro de
Aukelande vicesimo quarto die Januarii
anno Domini millesimo trecentesimo
quadragesimo quarto, ætatis nos-
træ quinquagesimo octavo præ-
cise completo, pontificatus
vero nostri anno unde-
cimo finiente ad lau-
dem Dei felici-
ter. Amen.

1 Colophon deest in CD.